

2608 Aug. 21

~~670 b. 9. 29.~~

784 6 e 4

600.

Nuki

1551

CURA
INNOCENTIAE
et
HABITVATI.

INTACTAS.

TACTASQVE ROSAS.



HAC CURA TVETVR.

MANUDUCTIO
ANIMÆ
AD COELOM,

Sive

CURA
INNOCENTIÆ

In primo flore
SERVANDÆ,
Vel si perdita esset,
REPARANDÆ.

In strenam oblata.

DD.

**Sodalibus Congregatis sub
Titulo B. MARIÆ Virginis
in Cœlos Assumptæ ,**

In

*Arcbi - Ducali Soc. JESU Collegio
Labacensi.*

Anno MDCCCL.

LABACI ,

**Typis Adami Frid. Reichhardt ,
Inclyt. Prov. Garn. Typ.**

412149

ОБЩИЙ
ЗАМЕНИТЕЛЬ

412149

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ

ИНДИКАТОРЫ

СЕРИЯ 22

СИКИЯ

СИДНЕЙ



17. X. 1990

N 990 00868

ANIMÆ INNOCENTI IN BONO PERSEVERANTIAM.

Respiciens olim JESUS dilexit Adolescentem illum Evangelicum, qui de se ingenio fassus fuerat. quod à juventute sua semper mandata omnia observaverit. Cœli nempe hominumque affectum omni magnere potentius ad se trahit, quamdiu quis integer vita scelerisque purus illibatam vita innocentiam, nullâ unquam graviori noxâ sordidatam conservavit. Verè felix, & beatus! jure quippe gloriari potest de sua Innocentia, prout olim Regum sapientissimus de sapientia gloriabatur: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Sap. 7. v. 11. Omnia bona sunt cum Innocentia, sine qua nulla sunt bona. O Innocentes! o candida mentes! utinam sciresis estimare pretium vestrum, & amare dignitatem! O quam sollicitè hanc custodiretis, quam anxie illud queremini. In hoc omnis vestra felicitatis cardo ve. ir, ut pretium quod habetis rapax & impia manus non furetur; hostis anima vestra non suffodiatur; non aliena temeret iniquitas; non innata minuat cupiditas. Florete flores, quasi lilyum Eccl. 39. Florete hortorum, in quibus viretis, decus; Olitorum, qui vestri curam gerunt, solatum; oculorum, qui vos inueniuntur, delitum; florete, sed ita: ne communis cum floribus fragilitate decus vestrum unquam deflorescat, pereat nitor, odor expiret. Florete; sed ira constanter, ne vel nimius cupiditatis syrus candorem vestrum decoquat, vel improvissum tentationis frigus virorem, vigorēmque absumat, sed inter hac pericula semper ills. bat ad beata aeternitatis paradysum transplantari me teamini. Lilyum è lacte cœli dedidit natum esse fabulan- tur poëta. Innocentiam autem cœli donum esse singula- re, docet ille, qui aperte confitesur, quod continentis esse non possit, nisi DEUS des; proinde ne ojus origo, sic

et conservatio à Deo pendet, supra natura vires est; his
qui fudit, labitur. Non est peccatum, testatur Augustinus,
quod fecit homo, quod non faceret alter homo,
nisi præservaretur ab illo, per quem factus est
omnis homo. Et haec natura ad malum tam prona fra-
gilitas mea de vobis sollicitum reddit innocua mentes; et
quot ego novi animas, qua super omne terreni floris decus
preciosæ illibatum vita nitorem candidissimis moribus pre-
seferebant, et corporibus elegantiam majori virtutum ve-
nustate amabiliorem reddebant, virebant, olebant, flo-
rebant, sed, qua justissimi doloris est materia, ad tem-
pus; flores namque integerrimi partim uno tacitu emar-
euerunt, partim tentationis turbine terra alijs putrue-
runt, alii impia latronis manu decerpti ex horto ad si-
num ad sordos degenerarunt; reliqui feliciores, sicut li-
lum inter spinas, Cant. 2. Periculis omnibus superiores
intaminato virore ver perpetuum, id est innocentiam,
constanter retinuerunt. Beato horum numero, ut et vos
accenseri possitis. quia haec legitis, artem vobis suggero;
qua freti semper in illibato vita candore perseveretis. Pie-
tas ad omnia quidem, ad innocentiam tamen servandam
maxime utilis est, maxime si hac non obvia et de trivio.
aut ex arithmeticis collecta sit orationibus, sed in verita-
tum aeternarum profundiori consideratione radicata intellege-
stum illuminet, ac inflammet voluntatem. Talem ego
vobis innocentes anima devotionem ostendo, quia si, se-
quens pagella docebit, usi fueritis, innocentiam ve-
stram Dei gratia ita roborandam confido, ut eam cun-
tingenti Dei, Intemerata Matris, Sancti Tutelaris An-
geli, ac Vestri ipsis, demum meo etiam solatio illibata-
sam celo fitis illaturi, quod vobis optab

Innocentiae Vestræ

Cupidissimus

G. H. S. J.

CURA PRÆSERVATIVA INNOCENTIÆ, MONITA.

Quantò pretiosior, nobisque ad salutem consequendam magis necessaria est Innocentia vel prima illa, quam in baptismo accepimus, vel, si hæc casu aliquo violata esset, secunda, quæ per veram pœnitentiam obtenta est, tanto majus studium in ea conservanda ponere debemus; ideo decem hebdomadas curæ huic specialiter impendemus, faciendo consuetam per totidem Dies Veneris Confessionem & Communionem, utramque singulari cuncti fervore instituendam; & quia plurimos habet hostes innocentia, huic enim insidiatur juratus animæ & salutis nostræ hostis dæmon; vitiata nostra natura repugnat, innumeræ ruinam parant pericula; ideo nostris diffisi viribus devotionem hanc honori Christi Redemptoris, Agni nempe immaculati, qui tollit peccati mundi; Purissimæ sine labore conceptæ semper Virginis, Dei & nostræ Matris pretiosissimæ, Sanctorum salutem animæ nostræ specialiter & ardentissi-

mè Zelantium, Ignatii, qui donum puritatis è cœlo accepit, & Xaverii, qui observatæ semper Innocentiae testimonium etiamnum corpus habet incorruptum ; aliorum denique Sanctorum, ad quos peculiari ferimur affectu, venerationi dicabimus, ut quod nostra fragilitas non posset, eorum intercessione muniti à peccato immunitatem, in DEI gratia perseverantiam obtinere mereamur.

Ad quod impetrandum nos specialiter die Communionis, uti & aliis diebus oratione infra positâ D E O, Beatissimæ Virgini, SS. Ignatio & Xaverio commendabimus; quantoque id ferventiùs & frequentiùs faciemus, tanto certius id, quod petimus, impetrabimus. Sed quia

DEUS, B. V. & Sancti nostram quoque cooperationem desiderant, suam nostro conatu ope in conjuncturi, ut proinde nos ad dignam Innocentiae æstimationem & conservationem solidius animemus, singulam singulis hebdomadis considerationem penitulatiùs legendam accipiemus, quam ut accuratiùs in nostram utilitatem convertamus, præstabit singula singulis diebus puncta ruminare, ac eorum memoriâ in occurrentibus fortè innocentiae violandæ periculis affectu designato ad Deum recurrere, ut hujus ope, B. V. & SS. intercessione pericula vitare certius possimus. Cùm autem

prævisa tela minùs feriant, & faciliùs vi-tentur pericula, quœ prævidentur, decem hostes innocentiae proponentur, ut singulâ hebdomadâ unius naturam, fraudes accu-ratiùs agnoscendo, potentiùs eidem resiste-re, damnâque prævertere possis, & cùm contraria contrariis curentur, decem hosti-bus seu, Innocentiae violandæ periculis toti-dem opponuntur media; quibus si te præ-munias, vel à tentationibus & periculis te plenè liberabis, vel in iis constitutus faciliùs ea superare & vincere poteris.

Ad quod impetrandum operæ pretium est omnem possibilem conatum adhibere, utpote à quo pendet negotium æternitatis. Hoc unum est necessarium, ut; Innocentiam serves: reliqua omnia minoris sunt confide-rationis. Sine proinde alios pro opum aut sanitatis conservatione, pro honorum, aut aliarum intentionum consecutione devo-tiones instituere; tibi hæc princeps cura sit, & precum ac devotionum tuarum quoti-dianarum scopus esto, ut Illibatam DЕI gra-tiâ semper tuearis Innocentiam; quâ obten-tâ & dives, & doctus, & es honoratus sa-tis. Quære hanc primùm, & potissimum, reliqua adjicientur tibi, si Deus viderit ea tibi profutura,

O R A T I O

*Ad Christum Crucifixum Die Communio-
nis, vel quotidie iteranda.*

O Domine JESU Christe ! Agne immacu-
late , qui tollis peccata mundi, tu quia
infinitè bonus es, solus peccati fœditatem &
enormitatem dignè agnoscis , & ideo odio
implacabili, gravissimè , necessariò detesta-
ris. Ego fragilis creatura tua, ad omne ma-
lum proclivissima , ardenter tibi placen-
di desiderio impulsa odi , & odisse deside-
ro , quidquid infinitæ tuæ bonitati displicet ;
detestor super omne detestabile , quidquid
me in tuæ Majestatis oculis execrabilem red-
dere posset, perfice in me Domine odium
istud, ut sit perpetuum , ut semper , & in
omnibus , ac super omnia abominer omne
peccatum , quod innocentiam meam eripe-
re , animam sordidare , tibi que invisam red-
dere posset. Illumina intellectum ; move
voluntatem ; dirige cogitationes ; verba &
opera ita moderare ; ut nunquam ad ullum
peccatum declinent ; sed semper ad tuas
justificationes & mandata adimplenda fe-
rantur. Absit ô Deus Pater amantissime !
ut à te unquam recedam , & ob turpes ac
abominabiles mundi & carnis illecebras me
tibi unquam exosum reddam. Dele me po-
tiùs de libro viventium, quàm ut te gravi-

unquam peccato offendam. In hunc tibi finem Deus, pro animæ meæ salute Crucifix! preces meas, & hanc devotionem supplici corde offero, ut per tuam clementiam, & bonitatem, per Immaculatæ Virginis, tuæ, meæque amantissimæ Matris Intercessionem, me ab omni graviori lapsu clementer præservare digneris. Qui vivis & regnas &c.

Ora, in honorum quinque Vulnerum, totidem

Pater & Ave; ac privatim toties terram esculare, ut Deus quinque sensus tuos à peccato præserveat.

Ad B. V. Matrem Innocentie.

Sanctissima & pretiosissima Dei, & mea Mater amantissima, quam rarissimo, & te solâ dignissimo privilegio Deus ab omni non solùm actuali, sed etiam originali labe præservavit, te per hanc Immaculatam Conceptionem, & illibatam puritatem tuam, ante thronum gratiæ tuæ prostratus, humillimè simul & ardentissimè oro, ut me licet indignissimum in Clientum & Filium tuum benigè assumere, ac ab Unigenito tuo innocentiam meam à graviori labe præservandi gratiam mihi impetrare digneris. Fove me sub maternæ protectionis tuæ pallio, ne interni, externique animæ meæ hostes thesauro eam pretiosissimo, id est vitæ innocentiam unquam spolient. Tu ô MARIA!

Mater cùm sis Gratiæ , Mater esto , Custos ,
 & Tutrix Innocentia meæ .

Per Sanctam Virginitatem , & Immaculatam
 Conceptionem tuam purissima Virgo ! emun-
 da cor + corpus + & animam meam + in
 nomine Patris , &c.

Ad SS. Ignatium & Xaverium.

O Gloriosi DEI Servi , magne Patriarchæ
 Ignati , & Thaumaturge Xaveri ! qui
 omnes vitæ conatus ad hunc unicunq; finem
 direxisti , ut vestras præprimis , omnium de-
 inde aliorum animas à Dei offensa immunes
 in vitæ innocentia conservaretis ; omnium
 vestrorum totius vitæ laborum sufficiens
 præmium fore rati , si per eos vel unicum pe-
 catum grave impediretis ; Nec minore nunc
 in cœlis Dei & proximi amore flagratis , ec-
 ce meam animam vestro Zelo committo .
 Facite , ut dicam : O Deus ! Amorem tui fo-
 lum , cum gratia tua mihi dones , & dives
 sum satis , nec quidquam ultra posco !

*Hic ora in memoriam 10. Sociorum S. Ignatii ,
 & 10. annorum Apostolatus S. Xaverii 10.
 Pat. & Avs, ac Gloria Patri, &c.*

Innocentia est animæ Thesaurus.

*Bona est substantia , cui non est peccatum in
 conscientia. Eccl. 13. v. 30.*

1. **S**i puræ mentis dignitas & innocentia pulchritudo humanis posset oculis innotescere , tantum indubie sui amorem in omnium cordibus excitaret , ut ad eam tenebrimè amandam , & viribus omnibus custodiendam pluribus opus motivis non haberet. *Omnis quidem hominis anima est ad imaginem & similitudinem Dei condita , & ideo valde æstimabilis : quantò ea tamen purior & innocentior est , tantò sinceriorum , magis vivam , elegantem DEI imaginem repræsentat.* *Incorruptio facit proximum Deo.* Sap. 6. v. 20. Cujus tu , qui hæc legis , imago es ? conscientiam tuam inspice : Si primæ innocentiae illibata etiam aut lineamenta retines , si voluntariam gravis peccati maculam non admisisti ; gaude : imago Dei es , quâ nulla elegantior , nulla in oculis DEI pretiosior. *Gloria nostra bac est , testimonium conscientia nostræ , quod in simplicitate cordis , & sinceritate Dei , & non in sapientia carnali , sed in gratia DEI conversati sumus.* I. Cor. 2.

2. Nec ita solùm in anima , quò humanus penetrare oculus non potest , recondita hæret innocentiae venustas , quin velut per rimas etiam in corpus innocentis non raro erumpat , illudque inusitatâ quadam , & supra modum amabili pulchritudine afficiat. *Ance veresundiam praebit gratia.* Eccl. 32.

Quid affectu & amore dignius homine verecundo, & innocentem? cuius oculi ad amorem modestiam compositi, circumspœcta conversatio, concinni gestus, mores affabiles, totius denique corporis compositio ad honesti, decorique leges accommodata intuentium oculos & animos magnete potentiùs trahunt in amorem. Nolim quidem à sola corporis elegantia virtutis mensuram definiri, certum tamen facit experientia, quòd innocentia gratos faciat, ac occultâ quadam vi sui amorem, & æstimationem excitet. Vis placere sine adulazione? vis amari absque phyltro? innocens & pudicus vive. Hoc innocuum amoris fascinum, & cordium magnes est occultus.

3. Parùm foret hominibus placuisse, quorum favor raro sincerus, variabilis semper est; verùm ea innocentiae prærogativa est, quòd quantò quis purior, tantò etiam Deo sit amabilior. Matrem ille habuit sine macula; Nutritum elegit Virginem; Joannem, ut Hieronymus observat, inter Apostulos specialis prærogativa castitatis & innocentiae fecerat Christi dilectione & finu dignam; Pascitur nempe inter lilia; Delitia illius esse cum Filiis hominum, sed cum iis, qui moribus candidis, & parvulorum instar vitii omnis expertes vivunt, horum consortio ut olim S. Edmundi delectatur; Sinite, ait,

PARD.

parvulos venire ad me. Ut gravissimum inter Deum , & peccatorem intercedit odium , ita nullos amat tenerius , quām quos novit à peccati sordibus magis esse remotos. O beatam innocentum sortem ! quid beatius quid nobis accidere potest utilius . quām à Deo amari ? si hunc Dei erga nos affectum cruciatibus , & morte pro ipso toleratā metteri deberemus , numquid operae pretium foret ? quem nunc faciliori longè viâ nobis addictum reddimus ; quamdiu sinè peccato sumus , Deo amabiles , imò filii Dei sumus.

4. Non miror jam , quod tantum sui amorem Innocentia in Sanctorum mentibus excitaverit , ut oppositum illi peccatum non modò angue omni pejus horruerint , illudque quā verbis , quā scriptis detestati , nec nominari quidem coram se sustinuerint , sed unum id gratiae omnis loco continuis à Deo precibus postulaverint , ut Innocentiam suam perpetuò illibatam conservarent , ideo remotissimas etiam ejus lædendæ occasions fugerunt solertissimè , honoribus eam , & divitiis , imò Regnis & Coronis , vitæque ipsi præposuerunt ; pro ejus conservatione Catharina rotas , Pancratius gladios , Thecla leones , Agnes flamas cum gaudio subje- runt. Parthenophile quid cogitas ? quod potuerunt hi , & hæ , cur tu non possis ? pos- ses , si puritatis tuæ pretium ritè intellige-

tes ! profectò nullius hominis gratiam velles Dei gratiam in periculum adduci , noctes , diésque vigilares , ne quam tua fortasse Innocentia maculam contraheret .

5. Puritas tua thesaurus tuus est ; quamdiu illam habes illibatam , & in Dei , & totius cœlestis curiæ oculis verè pretiosus es . *Omnis ponderatio non est digna continentis anima.* Eccl. 26. Si aurum omne & gemmas totius orbis unus possideres , has non tanti , ac puritatem tuam deberes æstimare . Quam sollicitè homines opes & thesauros custodiunt , cistis recondunt : & quæ tua est in conservando puritatis thesauro sollicitudo ? quæ vigilia : *Virginitas tua* , monet Hieronymus , *divitia tua* . Aliæ opes Dei donum sunt , sed periculis animæ plenum ; vitiis namque & divitiis major est rei , quam literarum affinitas ; solæ , quæ in castæ mentis innocentia sitæ sunt , non possunt non te reddere preciosum .

6. Quantò nobilior animæ thesaurus Innocentia est , tantò fragilior est , pluribusque periculis obnoxius . Est flos amoenissimus , quem facillimè vel æstus domesticarum cupiditatum decoquit , vel impia manus decerpit , vel vehementioris temptationis turbo convellit . Est nitidissimum & illustre speculum , sed quod vel halitu impuro obfuscatur , vel tactu maculam trahit , vel , nisi solli-

Follicitè custodiatur, levietiam casu frangitur, & cum integritate decus, pretium & estimabilitatem omnem amittit.

7. Aliæ opes casu amissæ sarciri possunt, imminutæ accumulari possunt; Innocentia prima thesaurus est, qui semel læsus, semper est perditus, irrecuperabilis est, dolere de hoc amisso potes, potes pœnitere, imò crimen emendare, & per secundam post uaufragium tabulam secundam consequi gratiam potes, decus tamen Innocentiae primæ, florem Virginitatis reparare, restaurare tam parum potes, quam speculum semel fractum redintegrare. O mi Parthenophile! non eme tanti pœnitere, vita tibi charior non sit præ innocentia tua; pati potius omnia, omnium hominum incurrere odium malis, quam in ullius gratiam finas Innocentiam tuam violari. Avaros imitare, qui thesauros suos cistis recondunt, ferris muniunt, oculis subducunt, ne manibus pateant rapacibus; & hoc illi pro divitiis faciunt, quas tinea demolitur, & ærugo consumit: quid te decet pro illius thesauri tutela agere, quo semel amisso nec assis amplius es, nec teruncii.

A F F E C T U S.

OMnipotens æterne Deus! qui me, infinitis aliis, quos creare potuisses, prætulisti,

tulisti, ad imaginem & similitudinem tuam
creasti, paulò minus ab Angelis honorasti,
& primā Innocentiae stolā per sacri baptis-
mi layacrum exornasti, quid pro his tibi Do-
mine beneficiis retribuam, nisi humiles,
quas debo, & semper debebo gratiarum
actiones. Absit à me Domine ! ut quam
gratiā tuā acceperit tui imaginem, peccati ullius
föderitate commaculem ; absit, ut primæ In-
nocentiae donum, quod tam benignè mihi
largitus es, pro vili, quam peccatum - sua
dere solet, voluptate commutem ; absit, ut
Angelicam dignitatem, quam per gratiam,
id est, divinæ tuæ naturæ participationem
mihi infundere dignatus es, unquam pro
sceleris alieujus cupiditate stultus mercator
dilapidem.

Innocentia etiam corpori prodest.

*Exhibentis corpora vestra Deo hostiam sanctam,
bene placentem.* Rom. 12.

I. **H**abemus thesaurum nunquam satis
æstimabilem, Innocentiam, in vasis
fragilibus, id est, in mortali corpore. Vas
hoc heu nimium quàm fragile est, nemo illi
fidat, quia ex natura & origine sua per pri-
mi parentis peccatum depravatum, in pec-
cato conceptum, semper inclinat ad ma-
lum ; innatus eidem est peccati fomes, ideo
cave nostra concupiscentia adversus Spiritum ;
hinc

hinc sit, quod non raro sentiamus cum Apo-
stolo *aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis.* Rom. 7. Pugna ista
quotidiana periculi plena est, quia nec sine
carne vivere, nec cum illa securi esse possu-
mus; domesticus hostis est, blandiendo ne-
cat. Et haec Innocentiae victoria est, dum
juxta judicium divinæ legis, & rectæ ratio-
nis moderatè utitur membris corporis, non
quod huic libet, sed quod licet, admitten-
do; cuius regimini dum obsequens corpus
obedit, ingens est, quod apud Deum præ-
mium meretur, dum enim illicitis abstinet
cupiditatibus, innumeris Deus illi hanc
continentiam donis compensat.

2. Innocentia constanter servata formæ
pulchritudinem in corpore non solum con-
servat, sed & frequenter auget. Sic quis
Immaculata Dei Mater & Virgo omnem
puram creaturam nitore & vitæ innocentia
longissimè antecessit, tantâ pariter vultus
elegantia fuit à Deo prædita, ut Dionysius
Areopagita ejus pulchritudine visu raptus,
nisi Catholicâ fide prohibitus fuisset, eam
Deæ instar adorâisset. Sol nunquam est sine
luce, licet non semper appareat; nunquam
colitur innocentia sine decore. Flos illa
virtutum est.

3. Alterum, quod in servatæ innocentia
præmium Deus corpori largitur donum,
san-

sanitas est : ut enim immoderata vivendi licentia , & libido innumerorum fœcundissima Mater est morborum , eorumque fœdissimum , ita Innocentia valetudinis nutrix est , & in optimo statu conservatrix . Neque id mirum : illa enim illico concupiscentiae æstu sanguinem accedit , hæc debitum humorum servat temperamentum ; illa per intemperantiam innumeris materiam praebet ægritudinibus , ista soror Temperantia finè Baccho & Cerere , ut Venerem , sic & febres extinguit . Non est , quod ingentes pro Medicis sumptus pares Parthenophile , serva Innocentiam , corpus à peccatis cohibe , & ingentem innumerorum morborum materiam subtraxisti .

4. Præcipua , quam homines ambitunt , corporis dos longævitas est . Hanc puritati & innocentie vitæ integritati propriam esse Medici docent . Audiatur Quarimonius insignis & Regius Medicus de humani generis interitu l. 5. c. 60. loquens ; qui natura libus etiam rationibus demonstrat nec pestem ullam ad corruptionem humanarum virium , nec morbos ullos ad deflorationem juventutis & inexpectatam humanæ vitæ præcisionem æquè facere , quam Venerem ; neque ad vires corporis , florēmque ætatis diu conservandum melius esse medium , quam Continentiam . Verbis fidem adstruant

ant exempla, quæ passim plurima occur-
runt. Franciscus de Paula 92. Remigius
96. Antonius 105. Simeon Stylites 109. Pau-
lus Emerita 113. Romualdus 120. annis vi-
tam produxerunt. Et si quando Deus in-
nocentes adhuc teneros & juvenes ex hac
vita evocat, facit, ne malitia mutet intelle-
ctum, satis diu vivit, qui castè ac innocen-
ter vivit. Sic vive, ut vitam tibi priùs,
quām Innocentiam tolli petas.

5. Nec flaccida hæc & imbecillis longævi-
tas est, inter præcipuas etenim servatæ In-
nocentia prærogativas est, quod robur illa
corporis ac fortitudinem conservet. Gode-
fridus gloriōsi nominis Heros Bullionius Hie-
rosolymorum & Syriæ Rex, cùm invictâ
corporis fortitudine præditus admiratio-
nem hostibus faceret, unde tantum ma-
nuum robur accepisset, quærentibus repo-
suit: *Quia manus haec nullis unquam incom-
petentia lordinibus asperguntur.* Unde id Ju-
dithæ robur, ut sua manu Assyriorum
Principem in medio sui exercitus obtrunca-
verit? nisi à Castitate illihate servata. Con-
firmatum est cor tuum (imò & brachium
tuum) eò quod *Castitatem amaveris.* Judith
17. Vitium sanè oppositum vires corporis
elidit, robur adimit, artus extenuat, vigo-
rem naturæ frangit, corpus imbecillum red-
dit, & exhaustum, dum optūnam sui par-
tem,

tem , virium medullam imprudens non min-
nus, quam impudens egerit , & vitales spi-
ritus consumit ; voluntarius suimet carni-
fex , & spontaneus vitae suæ vespillo dicen-
dus , qui vitâ in sceleribus actâ præmaturam
sibi ultro mortem consciscit . O amentiam !
certè si scelera hæc Deo non displicerent , si
non obessent , animæ fugienda tamen vel ex
eo capite forent , quòd corpori , quòd sani-
tati , quòd vitae humanæ officiant .

6. Huic corporis firmitati animi pariter
fortitudinem sociat inculpatus vitae tenor &
Innocentia . Hinc obfirmata illa mentis re-
solutio vim trahit , quâ insigni planè robore
iis omnibus se opponit , quotquot virtuti
adversantur . Non mirare quòd S. Babylas
Numeriano , S. Athanasius Juliano , S. Basilius
Valentiniano , S. Ambrosius Episcopus
Theodosio se opposuerint ; Innocentes fu-
te , nullas Tyrannorum iras formidârunt .
Par animi fortitudo etiam imbellem alias
sexum ad fortia quæque animavit ; sic Ca-
tharina Maxentium , Attilam Ursula , Susan-
na Diocletianum furentem contempfit ; nec
tot immanitas tormenta habuit , quibus in-
victum Innocentiae robur terruisset .

7. Qui non tentatur , quid seit ? nisi tot
obnoxia periculis foret integritas , non tan-
ta ei Deus dona præparâset , sed quia in
eius tutela corpus pati , hujus appetitus ra-
tioni

tioni subjici debet, id præmii promeretur, quod pari cum anima felicitate in cœlo collocandum, dotib[us]que gloriofis exornandum sit. *Agilitate* videlicet, ut inomento citius eò ferri possit, quoquò volet. *Subtilitate*, durissima quæque & obstantia sine violentia, & difficultate transire ac penetrare valeat. *Impassibilitate*, ut & vulneris posthac & doloris omnis expers mala nulla queat pertimescere. *Luce* demum & gloriâ, quâ illustre semper & lucidissimum perennabit. **Animā** hic Parthenophile corpus tuum, ut à fôrdidis libenter abstineat voluptatibus, ut tantò certius fruatur æviternis.

AFFECTUS.

OMnipotens Deus, qui hominem ex nihilo creâsti, & animæ corpus sociâsti, ut mutuis per vitam auxiliis alter alterius augendo meritum, ultimum tandem, ad quem bonitate tuâ homo conditus est, finem consequantur. Tu fecisti nos Domine, & non ipsi nos. Ecce corpus hoc, quod dedisti mihi, aggravat animam; ecce caro, quâ vestisti me, concupiscit adversus Spiritum; sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; ideo ad te Dominum ac Creatorem meum supplex configio; Da mihi Virtutem contra hostes tuos

tuos , imò meos , qui Innocentiam m̄eam
persequuntur ; Da , ut ita Spiritu facta car-
nis mortificem , ne me in transversum agant,
ac à via mandatorum tuorum ad viam ini-
quitatis impellant . Absit Domine , ut cor-
pore , quod tam vegetum tam integrum mi-
hi dedisti , contra te insurgam , & abutar .

Innocentia est fons veræ lætitiae.

Non est oblectamentum super cordis gaudium.
Eccl. 30.

1. **P**aradoxum videtur , & res est certissi-
ma ; non esse majorem voluptatem ,
quam voluptate caruisse , illâ nempe , quam
mundus & caro , heu nimis quam fæculen-
tam ! propinat . Nihil quippe animum sic
delectat , prout integra immaculati pudoris
conscientia . Delectatio spiritualis pluri-
mis gradibus petior est , quam carnalis ; il-
lud namque solum verum & solidum est gau-
dium , quod non de creatura aliqua , sed de
Creatore concipitur , cui comparata omnis
alia jucunditas mæror est , omnis suavitas
dolor est , omne dulce amarum , omne deco-
rum fædum , omne postremò quodcumque ali-
ud delectare possit , molestum . S. Bern. ep.
314. Ecce veri sincerique gaudii fontem ,
huc accurrite , plenis hinc congiis lætitiam
laurete ; gaudete , iterum dico gaudete , sed

In Domino, non in turpitudine. Immunitas à peccato veram animi parit lætitiam.

2. Heu quām turpiter decipiuntur, qui in fœditatibus & peccatis gaudii sui materiam collocant? hæc namque delitiæ aut vanæ sunt, aut turpes; antequam iis fruaris, voluptas dici non possunt; dum adsunt, jam fulguris instar transiverunt; postquam iis frui contigerit, jam extinctæ sunt. Non est hæc profectò lætitiae, sed pœnitendi materia; insania est, non lætitia, post quam vermis, qui nunquam moritur, exedit conscientiam; ubi semper ante oculos versatur conscientia delictorum, quæ ipsa sibi & Judex est, & carnifex; tot præterea alit accusatores, quot vitia; tot vindices, quot peccata. Voluptas, si quæ fuit, fuit momentanea, pœna pedissequa est perpetua.

3. Quisquis Innocentiâ per peccatum amissâ lœsam circumfert conscientiam, lætus esse non potest. Ad villas & hortos properet; adeat opiparas mensas & convivia; cyathis & poculis innatet; musicam instruat; frustra aget omnia, peccati commissi recordatio quiescere animam non finet, nisi ad momentum unum, alterūmve; & morsu dein validiore pectus mali concium lancinabit. *Non est pax impiis.* Isa. 48. Non est lætitia! nisi vermeū in anima latentem amaris sinceræ pœnitentia lachrymis mergat,

gat, nisi supernaturalis doloris singultibus eum suffocet, séque ad secundæ Innocentiæ Statum reponat, frustra gaudium quæret, nulli à Deo recedenti bene est. Scito, & vide, quia malum & amarum est reliquise te Deminum DEUM tuum, Jerem. 2. 18. Quid cogitas, Parthenophile? stas in bivio, quò te convertes? ablit, ut à Domino & Innocentia tua vel latum unguem recedas. Nam.

4. Si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Secura mens iuge convivium. Proverb. 15. Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus. Veram sinceramque lætitiam non regia dignitas, non opum abundantia, non opiparæ dapes, non vestium ornatus, non ampli honores, non hominum favor, nec quidquam aliud afferre potest, sola pura & innocens conscientia hujus habet privilegium; hanc si habes, licet pannosus sis & vilis, beatus tamen es, & jure gaudere potes. O pura conscientia! in terra habitas, & jam in cœlo versaris. Omens Immaculata, paradysus deliciarum, cœli prægustus, futuræ felicitatis arrha prævia, pax quæ exuperat omnem sensum! Dissipant tibi alia mi Parthenophile gaudia, hoc unum

unum posside, hoc constanter tuere, beatus, & semper hilaris vives.

Utinam qui peccatorum siliquis delectantur, experientur aliquando, quas delitias præbeat Christi sinus, quām bonum & dulce sit Deo adhærere, & in eo delectari ! profectò vilescere illis mundus, & caro desipere inciperet. Experto hic fides sit Augustino, qui postquam concupiscentiæ vincula, quibus tenebatur, rupit, peccata deseruit, expertus est, quām suavis sit Dominus, quām jugum ejus dulce. Quām suave, ait, *suit mibi subito carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat.* Ejiciebas enim eas à me vera tu & summa suavitas : ejiciebas & intrabas præ eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini, sed spiritui. O beata commutatio, dum carnales delitias spiritualibus, fœdas purissimis, momentaneas æternis coimmutamus ! sic perdere lucrum est Parthenophile ! absint à te gaudia, quæ offert peccatum, tantò plus vivus, tantò plus moriens, plus in terris, plus etiam in cœlo delectaberis, quantò purior & remotior à peccato vixeris.

6. Nec in animo solùm has excitat delitias constans à peccato immunitas, liberalior in suos DEUS est, ita cumulat Innocentiam solatiis, ut ad corpus ipsum, externos-

que hominis sensus afficiendos redundantur. Testis est Ignatius, dono puritatis, Immaculatae Virginis intercessione, donatus; qui tantam solitorum affluentiam persæpe expertus fuit, ut corpus iis ferendis impar sensibus linqueretur; sæpius ex hypocausto in apertum cœlum, liberorémque auram prodire coactus, suavissimæ dulcedinis, quæ reficiebatur, violentiam frigidioris auræ refrigerio temperabat; cœlum intuitus terram sibi cum omnibus quæ continet, sordere confessus. Et hoc est gaudium, quod semper secum habet Innocentia. Vis lætari, beatus esse? innocens vive.

7. Flentes quidem nascimur in hunc mundum, quasi præsagi calamitatum, quas vita humana socias secum trahit. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Job. 14. Vallem lacrymarum incolimus, quotidiani sunt casus tristes, qui nos contristant, jam instant hostes, jam premunt morbi, jam damna, & rerum temporalium defectus nos perturbant, adeò ut mirum sit lætos nos esse posse inter tot undique, quæ nos circumstant, calamitates. Nec alia sanè, quòquò te vertas, erit lætandi materia, quæm innocens vita, & pura conscientia. *Non contristabit Justum, quidquid ei acciderit,* Nihil tam triste, tamen insolens, quod innocuam mentem perturbare

bare possit. Sint bella, sint pericula, contagio, sit caristia, non tristabitur; nec si frater illabatur orbis, conturbabitur Justus; scit se Filium DEI, scit se curæ esse cœlo. Qui habitat in Adjutorio Altissimi, in protectione DEI cœli commorabitur. Nec capillus de capite suo cadet sine voluntate patris sui, qui in cœlis est.

AFFECTUS.

Domine JESU gaudium, & delitiæ cordis mei! ad te desideria mea omnia dirigo, ut sicut tota æternitate nihil extra te amabo, aut desiderabo, sed satiabor, cum apparuerit gloria tua, sic nunc in carcere mortis hujus, mortali hoc in corpore detentus nihil extra te concupiscam. Tui amore valedico omnibus, etiam, quas licetè admittere possem, carnis & sanguinis delectationibus. Nihil mihi præter te sapiat, nihil extra te cor meum afficiat. Tu, qui torrente voluptatis potas tuos, solus me delectare, solus satiare potes! Non fodiam mihi cisternas, quæ continere non valent aquas, non fitiam fœculentas, quas peccatum offert, lacunas. Tu gaudium meum, delitiæ meæ, jucunditas mea nunc, & in sæculum sæculi!

Innocentia mortem parit jucundam.
Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Psal. 115.

1. **L**AEO nobis mors instat pede , ubique minatur ; semper est in insidiis ; juveni non minus timenda , quam adulto ; ubi minimè crederemus , adest dies tribulationis & angustiae , dies calamitatis & miseria , dies tenebrarum & caliginis , dies nebula & turbinis . Soph . I . Dies magna , & amara valde . Deserenda omnia , Parentes , Cognati , Socii . Deserenda omnia ; opes , honores , commoditates : Viciſſim deserent nos omnia ; ingenium , pulchritudo , sanitas , deseret nos , quidquid in mundo est . *Heu quandoſeparas amara mors.* l . I . Reg . 15 . Hic ego jam te judicem volo Parthenophile : quis ab his facilius avelletur , an is , qui uxoris , prolium cura in mille partes distrahitur ? an qui talibus per cœlibatum expeditus uni sibi , quod consulat habet ? Quis promptior instantem mortem admittet ? Isne qui voluptatibus affuetus , non uno conscientiam scelere maculavit , an qui sine ullo culmine vitam immaculatus exegit ? O quæ comparatio !

2. Heu me ! vel cogitare horreo , quam dura quam acerba , quantis anxietatibus & timoribus plena mors illis accidet , qui amissâ per peccatum Inocentiæ stolâ carni & sanguini servientes , filiquis & furfuribus porcorum assueverunt , Verè de his Propheta Regius : *Circumdederunt me dolores*

mora

mortis ; dolores inferni circumdederunt me.
 Psal. 17. Sed nuda imminentis jamjam mortis memoria , & postremæ præ foribus horæ præsentia tantos iis dolores & terrores excitat , ut cruciatibus inferni comparari mereantur. Hic nempe vitæ in peccatis , & voluptatibus actæ fructus est.

3. Qui per vitam , cum S. Chrysostomo , nihil timebit præter peccatum , ille nec imminentem sibi mortem timebit ; *Timenti Dominum bene erit in extremis.* Eccl. 1. Novis affluet solatiis , dum mortem acceptabit , tanquam malorum , quibus humana vita referta esse solet , portum & terminum ; tanquam requiem à laboribus. Inexplicabili cumulabitur lætitia , dum cogitabit se mundi , carnis , & diaboli insultibus liberandum , & universis peccandi periculis eximendum. Mortem venientem accipiet ut cœli januam , transitum ex misericordiarum valle ad paradysum , ad DEI sui fruitionem & amplexum. Cupiet proinde dissolvi , & esse cum Christo , non amissurus vitam , sed mutaturus misericordiam feliori , ex exilio migraturus in patriam ; ideo ad nuntium mortis non commovebitur , non mutabit vultum , minus metu aut desperatione trepidabit , sed animo placido , mente tranquillâ , sereno vultu , spei & consolationis plenus D E I

sui voluntatem exequi promptus , momen-
tum illud supremum expectabit.

4. Christus salutis nostræ appetentissi-
mus identidem nos monet in Evangelio , ut
vigilemus , quia mors , tanquam fur , quâ
horâ non putamus , adveniet , ideo semper
nos voluit esse paratos : cui documento ne-
mo morem gerit sincerius , quâm qui inno-
cuam servare Innocentiam adlaborat ; nun-
quam mors huic venire potest improvisa ,
importuna , vel nimium præpropera . In-
terrogatus aliquando Vir Religiosus , dum
animum colloquiô relaxabat , quid ageret ,
si hac sibi horâ è vita migrandum esse intel-
ligeret ? se in animi relaxatione perecturum
reposuit , eò quod conscientiam ita semper
habere dispositam studuerit , ut nunquam
non mori paratus esset . O felix innocentis
animæ conditio ! hæc est , quæ sui cultores
ad eum mortis contemptum erudit , ut quo-
tidianâ pietate mortem repentinam sibi ob-
tingere petant .

5. Revoca hic tibi in memoriam suavissi-
ma innocentum animarum in agone solatia ,
qui non modò non expalluerunt ad nunti-
um mortis , sed vultu ad omnem hilaritatem
composito , exultantes animo & canentes
eam oppetierunt , illudque Davidicum in-
geminârunt : *Lætatus sum in his , quæ dicta
Junt mibi : in domum Domini ibimus . Psal.*

121. Hæc cogitatio innocuas mentes adeò confirmavit, ut ultrò mortem quæsiverint. Mirari define Apolloniæ tenellulæ Virginis tredecennis fortitudinem, quæ mori adeò non exhorruit, ut ultrò in ignes insilierit. Hæc innocentiae prærogativa est: in morte gaudere, per quam ob sensuum oblectamenta hic neglecta ad perpetuorum gaudiorum fruitionem se vocari intelligit. O moriatur anima mea, dices Parthenophile, morte Justorum! morietur, ne dubita, si vixerit vitâ Innocentum, id est omnis voluntariæ impunitatis experte. O quale solatium vitam nullius unquam gravioris delicti conscientiam tumulo inferre!

6. Quod mortem ita duram & amaram facit, est Judicii particularis à morte statim imminentis horror. Finiri vitam, corpus ab anima separari, avelli à charis difficile licet sit, facilius tamen toleratu est, quam sit de vita male acta rationem reddere; offendit & irati Judicis sententiam audire; meritamque per peccatum pñnam præstolari. Hoc enim verò est terribilium omnium terribilissimum, sed malis & sceleratis; vice versa Innocentibus gaudium est, solatiique plenum, quia evocantur ad præmium; possunt enim conscientiâ teste dicere: *Cursum consummavi, fidem servavi, & mandata, in reliquo reposita est mibi corona Justitiae,*

quam reddet mibi Dominus justus Iudex, & quid aliud speret bonus & obsequens filius, qui DEUM non jam Judicem habiturus est, sed patrem.

7. Qui vel unicum toto vitæ suæ decursu grave peccatum commisit, præterquam quòd jacturam passus sit inæstimabilem, illud etiam infelicitatis incurrit, quòd justissimè debeat mortem formidare, nec securâ conscientiâ, & absque gravissima sollicitudine mori possit; hinc enim gravissimo suffundetur pudore, quòd animam ob rem tam vilem, tam fœdam, tam Deo exosam maculaverit; illinc justissimâ premetur anxietate; quia peccatum à se comissum esse recordabitur, remissum verò esse scire, sine revelatione Dei non poterit; licet opinione suâ veram, eámque iteratam sæpius egredit pœnitentiam: *De propitiato peccato noli esse absque metu*, quid ergo consili? Hoc unicum, ut quisquis primam adhuc habes innocentiam, hanc omni studio servare conñtaris, omnia priùs, vitámque ipsam citius tibi finas extorqueri. Quàm innocentiam,

A F F E C T U S.

BEnignissime Domine, vitæ ac mortis arbitrator Deus! scio, quòd divinæ tuæ prævidentiæ dispositione mihi quoque statutum sit mori; quando autem? quàm citò? quo

mor-

mortis genere , paternæ hoc voluntati tuæ plenè committo . Moriar , ut dominium tuum vilis creatura conteste : moriar libenter , quia nihil mihi conscius sum , itaque tuæ confisus misericordiæ spero me ad tui fruptionem perventurum ; *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Job . 19. Quod ut tantò certius eveniat : Da mihi Domine sedium tuarum afflstricem sapientiam , ut Innocentia , quam mihi largiri dignatus es , premium intelligens , eam , tanquam vestem nuptialem mecum ad sepulchrum , & ad conspectum tuum immaculatam perferam . Amove à me omnis tuin dæmonis insidias : tum carnis illecebras , ut his superatis residuum vitae , quod mihi supereft , vivam , sicut liliu inter spinas , mereárque ad Paradysum voluptatis æternæ transplantari !

Innocentibus certum est Cœlum .
Beati mundo corde , quoniam ipsi Deum videbunt. Matth . 5.

Omnis nostra actio & cogitatio , quæ ad cœlum non tendit , errat ; conditus etenim homo est ideo , ut ad cœlum perveniat ; ad quod obtinendum ita vivere , cogitare , loqui & operari debet , ut omnis ejus actio & cogitatio sit quædam ad cœlum approximatio . Viatores sumus , ad cœlum tanquam ad patriam tendimus ,

quod sanè nullus agit certius, quam qui semper in Dei gratia constitutus inculpatam gerit conscientiam. Hanc enimvero, si peccato, quod absit, gravi sordidatam circumferat, ad cœlum per actiones alias etiam bonas promerendum inhabilis est; jus omne ad cœlum, quod per gratiæ in Baptismo infusionem obtinuit, perdit & pessimdat, stultissimâ, quæ unquam cogitari potest. negotiatione, dum pro re vili, sæpe sordida Dei fruitionem, pro momento beatam æternitatem commutat.

2. Cœlum ante ipsum Cœlum possidet, qui ita vivit, ut de cœli affectione certus, lætos omnibus in eventibus ducere possit dies; quod tam diu quisque habet, quamdiu conservat innocentiam. Quidquid in orbe terrarum fiat, quæcunque insurgant bella, commoveantur sedibus suis elementa, quiscunque te casus, quæcunque premat adversitas, totus in tui perniciem mundus & orcus conspiret, tutus ridebis, nemo tibi cœlum eripiet. Hoc unum est præ reliquis magis infallibile prædestinationis signum, hoc quicunque prædictus est, jure gaudere semper cantaréque potest: *Latatus sum in his, qua dicta sunt mibi: in domum Domini ibimus: Ps. 121.* Et hanc salutis certitudinem, hoc jus filiationis diuinæ, hanc beatæ æternitatis artham pro consensu ad peccatum,

pro-

provisu , pro tactu velle perdere , quām in-
explicabilis dementia foret ?

3. Dum B. Aloysio Incarnato illi Angelo
mors imminere proxima nuntiaretur ; non
solum non consternatus est animo , sed colle-
ctâ per extremas vires voce suavissimè cœ-
pit canere : *Ad cælum ! ad cælum !* recor-
dabatur nāmque innocentissimus adolescens :
se non tantū peccatum omne plusquām
dæmonem & infernum horruisse , verūm
etiam speciali Dei privilegio nullam se un-
quam vel cogitationem , vel corporis mo-
tum Angelicæ Virtuti contrarium sensisse.
O beata ad mortem præparatio ; aperta in-
nocentibus semper est cœlijanua , tales cum
S. Quidone , paupere sed innocentia , ab An-
gelis morienti accinentibus invitantur. *Ve-
niat dilectus noster ad pericipliendam æternæ fe-
licitatis coronam !* eorum animas præstò ex-
pectant Angeli , ut eas , prout S. Ludovicum
Tolosanum rectâ in cœlum deducant. In-
nocentia nempe clavis est cœli , hoc illi sem-
per patet.

4. Vide , quām facile sit cœlum mereri !
si necessarium pro ejus ingressu foret mar-
tyrium ; si longa cogereris ad jejunia , so-
litudinem , & eremium ; queri non posses ;
his enim omnibus plus cœlum meretur.
Verūm his omnibus non est absolute neces-
sarium , unum unum est compendiosum

ad cœlum iter. Audi Chrysoſtomum: Si omnia, quæ Tyranni poſſent inferre ſupplicia, omnes quæ accidere humanis corporibus poſſunt ægritudines, perferenda eſſent, forent cum gaudio toleranda; etiamſi per iſta modico tan-tum temporis ſpatio cœli gaudia deguſtare con-cederetur: nunc quando eadem non pro mo-mento, aut hora, ſed pro tota æternitate obtinere potes ſolum, ut te porcis non miſceas, animam peccato non fœdes, hōcne tibi grave videri potheſt? Via Laetitia ſecurif-ſima eft ad cœlum via.

5. O cœlum! pulchra patria! ubi, quid- quid delectare potheſt, aderit; aberit, quid- quid durum, aut moleſtum accidere poſ- ſet. Et ideo concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini? Psal. 35. Verūm fruſtra eò aspirat, qui hic ſibi cœlum qua- rit; qui dicit: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Psalm. 113. Qui cum talpa & porcis terrenis delectatur. Cœlum nos expeſtat; ſed non dandum dono, non aperiendum otioſis; venale proſtat; Venite, emite abſque argento & auro. Is. 55. Nulla certior pro illo com- parando, neque ſincerior moneta eft præ vitæ Innocentia. Nihil coquinatum eò intrabit. Peccatum vextis & ſera eft, quā cœlum clauditur; ab illo immaunis, de cœlo non dubitet. Quis aſcendet in montem

Domi-

*Domini, aut quis habit in loco sancto ejus?
Innocens manibus, & mundo corde. Psal. 23.
Longa, dura, & ambigua via ad cœlum est
pœnitentia !*

6. Qui ad nobile invitatur convivium, grossioribus domi cibis abstinet, ut sapidioribus deinde vesci possit: iam tum, dum creati sumus, ad cœlum convivæ invitati sumus, ubi non stillâ solatii, sed *torrente voluptatis p̄abit* suos Dominus ; cuius tamen degustandæ capaces minimè sunt, qui sensualibus delestantur ; abstinentum nunc est terrenis, ut abundemus cœlestibus ; valericendum carnalibus, ut succedant spiritualia ; spernenda momentanea, ut fruamur æviterne. Avertendi sunt hic oculi, ne videant vanitatem ; visuri olim quidquid pulchrum esse potest ; sepiendæ hic aures spinis, ne pateant obscœnis ; olim cantibus Angelorum recreandæ ; continenda nunc lingua à fescenninis, ut canat totâ æternitate canticum novum ; Tactus nunc ab illicitis custodiendus, ut corpus olim suis dotibus glriosum in cœlo regnet. Differenda eò sunt solatia ; vita nostra brevis est, non ægrè modicūm sibi à peccato temperabit, qui gaudere volet in æternum.

7. Nec solum de cœlo aliquando obtinendo certus est innocens, sed & de speciali reliquos inter Cœlites præmio, nempe de

consequenda laureola Virginitatis. Ut enim Deus palam faceret, quanti putitatem illibatè conservatam æstimet, non solum cœlum innocentibus præparavit, sed specialem in cœlo prærogativam, peculiarem honorem, per quem à reliquis Sanctis distinguuntur, attribuit; laureolam nempe Virginitatis intemeratè conservatæ luculentum testem & indicem. Singulare gaudium, & majus præ aliis solatium habituri sunt, quia sequentur Agnum sine macula, quo^cunque ierit, cantabunt canticum, quod nemo aliis cantare poterit. Apoc. 31. O Virginitas d^os Angelica, corona immarcescibilis, Gemma Innocentiæ! quām multi te non satis æstimant, quām facile prodigunt, quām incautè custodiunt! Tu prudentior esto mi Parthenophile, serva thesaurum tuum, custodi coronam tuam, ita vive, ut dicere in veritate possis: puritatem servavi, cursum consummavi, in reliquo reposita est mihi corona Virginitatis in cœlo. Qui potest capere, capiat.

A F F E C T U S.

O Liberalissime Deus, quām magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam præparasti diligentibus te, quām ubere præmio modica nostra, quæ præstamus obsequia, compensas in cœlo! Eò conditus sum, ut tui visione beatâ frui, tēque æternū amare

re ac laudare possim ! unum terret , quòd
multi eò sint vocati , pauci electi ! quia pec-
catum heu quàm nimium multis illud præ-
cludit . Confige proinde *Domine timore tuo*
carnes meas , ne animam meam ad illicita
educant , sed ut in sancto timore , ac filiali
tremore operer salutem meam ; qui sto per
gratiam tuam , confirma gressus meos , ne
cadam per ignaviam meam !

Innocentes B. V. amat ut Filios.

Dilectus meus mibi , & ego illi , qui pastitur
inter lilia. Cant. 2.

I. **S**anctissima Dei & Innocentum omni-
um Mater MARIA in prærogativa pu-
ritatis maximè excelluit . Hæc sine macu-
la concepta ; omnis tam gravis , quàm le-
vis peccati expers perpetuò vixit ; prima
inter omnes mortales Virginitatis votum
emisit ; semper Virgo : Virgo mente , Vir-
go carne , Virgo professione : Virginum ut
Primiceria , ita Mater & Patrona ! quò quis-
que ad Puritatis amorem accedit propior ,
eò est Marianæ filiationi proximior . Quid
tibi hic animi est Parthenophile ! bullit non
dubito filialis in corde tuo erga hanc Ma-
trem dilectissimam amor ; sed cogita : quòd
amor otiosus esse non possit ; magnus est ,
magna operatur . Tres Marianæ filiationis
gradus habes : Vivere sive grayi peccato .

Gasti-

Gastitatem statui tuo competentem colere.
Perpetuam Virginitatem servare. Tu quod
vis, elige.

2. *Similitudo morum Mater amorum.*
Quantò aliquem tenerius MARIA fovet, tanto eundem sublimiori puritatis amore inflammat; & ut ipsa Virginitatem ipsius Dei maternitati prætulit, sic Clientibus suis peculiare Angelicæ Virtutis tuendæ desiderium infundit. Ubi MARIA est, puritas est; ubi illa adest, abesse debet turpitudo. Visitavit illa Joannem, & illico peccato solvi debuit. Hæc Virgo est germinans Virgines, cui adhuc viventi hoc peculiare erat, ut ejus aspectus, cum esset pulcherrima omnium, etiam incontinentes ad continentiam incitaret, castos verò in virtutis hujus amore solidaret. Huc oculos, huc animos Parthenophile! MARIAM, id est, puritatis ideam, Magistram Castimoniæ, Virginem Virginum, & Matrem Innocentum intueret; sic oculos, sic illa manus, sic ora ferebat: imitare, & redamaberis.

3. Nullis plus favoris exhibet MARIA, quam innocentibus, erga hos se Matrem exhibet benignissimam. Hæc Parthenium & mellifluum Bernardum filii instar lactavit; Albertum Crispinensem Monachum vitæ mediis destitutum bucellâ panis in os immisit pavit. Ildephonsum Marianæ Virginitatis

nitatis & corpore & ore defensorem veste candidissimā ē cælo allatā vestivit. Stanislaum Kostka ægrum invisit. Alexandrum Bertium , ratæ pudicitiae florem , dum somnum caperet , floribus conspersit. Adeò omnia piæ , sollicitæque Matris officia charis illa filiis semper impendit , ad quos favores ab illa promerendos unica semper via fuit Innocentia ; hæc inter Apostolos *Ioannes à Christo* audire promeruit : *Ecce Mater tua* , Scio Parthenophile desideria tua , nihil tibi magis in votis , quām amari à Matre pulchræ dilectionis , ecce moneta , quo illius amorem merearis : innocens vive.

* 4. Quantò tenerius innocentes amat Deipara , tantò amplius ope , affectuque recedit ab iis , qui ab Innocentia vitæ , moribusque integerrimis recedunt. Nec mirum , quæ enim *comparatio luci ad tenebras* , Virginitati cum sordibus , Immaculatæ cum peccato ? Respuit impudici illius preces , cui cibum pretiosum sordida in lance , quæ nau-seam crebat , exhibuit. *Spec. Ex.* Negavit indecorè jacenti benedictionem , dum aliis in eodem cubili modestè cubantibus bene precaretur. *Antonin.* Ab eadem colaphum sodalis accepit sodalitii calamō ad amatorias literas abusus. *Sod. Parth.* Alium Congregationis tempore nudum balneantem mergi permisit. Nempe: *Cinxerat induti latus optimæ Vir-*

Virgo Sodalis, ut vidi nudum, fugit, & ille perit. Refugit nempe fordes omnes *Immaculata*, nec ei placere potest, quod fordidum est, quid autem peccato fordius esse possit?

5. Quantum Clientes suos Innocentiâ excellere desideret Mater amabilis, toties testata est, quoties ipsa suos ad ejus amorem est cohortata. *S. Emerico Hungariæ Duci*, dum in templo oraret, quod Deo, ejusque Matri gratissimum offerre posset obsequium, clara vox de cœlo lapsa monuit: *Pulchra res est Virginitas!* quam is deinde totâ vitâ, etiam in conjugio illibatam servavit. *Aloysium Deipara*, uti & *Stanislauum* ad Religionis ingressum hortata est, ut castæ mentis & corporis in tuto lilyum collocarent. Eadem, ut innumeros taceam. *S. Ignatio spectabilis*, ei donum puritatis & ab obsecnarum rerum imaginibus immunitatem impetravit; Ipsa in *Reginaldo* omnem libidinis somitem extinxit, & Jacobum *Leedesma* ob tentacionum frequentiam pusillanimem animavit, dum eidem apparuit canentibus Angelis: *præclara res est Castitas*; *majora sed sunt præmia*, quæ continenti dat *DEUS*. Pone metum Patthenophile! aderit illa tibi quoque tentato.

6. Præsentissimum ad vincendas tentaciones præsidium *MARIAE* cultus & invocatio sem-

semper fuit, eritque. Aliis annulus ejus nomine insignis in digitis, aliis ejusdem imago, finu gestata, contra tela ignea inimici scutum fuit. Multis devota ejus memoria, & sola sacri nominis invocatio præsidio fuit. Innumeri sunt, quos ejus imaginis, non secus ac olim viventis aspectus ad horrorem peccati, & amorem puritatis accedit. Vide Parthenophile, & gaude, quam facile, quam promptum tibi sit ad Innocentiam præsidium, si eo uti voles. MARIAM ama; quid dulcius? MARIAM invoca: quid facilius?

7. Habent hoc Mariophili Clientes, quod ut eam tenerrimo affectu prosequuntur, sic puritatis etiam tum in se, tum in aliis sint Zelotes ferventissimi, Virginei planè Apostoli, qui quidquid conscientiae, quidquid Innocentiae ac motum honestati adversatur, in se & aliis angue & cane pejus adversantur, viisque & modis omnibus in se pariter, ac in aliis Angelicæ Virtutis amorem, aestimationem, curam, & custodiam fovent, promovent, & tuentur. Non sustinebat Bernardinus, ut se præsente vel verbulum ulli contra honestatem exciderit. Stanislaus Kostka MARIE totus in amoribus, totus in delitiis tantam puritatis curam alebat, ut si quis ore minus loto illi adversa proferret, illico in deliquium solitus, quos authorita-

te parvulus non poterat , exemplô castiga-
bat. Esne tu quoque in hoc innocentiae Ze-
lorum numero Parthenophile ? ut posthac
sis, in tuo stat arbitrio ; si MARIAM sincerè
amas , si ab ea amari valde desideras , indu-
biè eris. Innocentia enim est MARIAE filio-
rum characteristica.

A F F E C T U S.

O Sanctissima Virginum Virgo , Immacu-
lata Dei , & mea Mater MARIA tibi
fincerissimo & filiali affectu hos oculos , has
aures , hanc linguam , has manus , cor dení-
que , totumque corpus , hanc insuper ani-
mam , memoriam , intellectum , ac voluntate
humillimè offero , dedico , tuoque ho-
nori & amori perpetuum anathema conse-
cro ; æquè tua pleno jure sint , ut mea Dei
dono sunt. Absit , ut iis unquam , ad impu-
ritatem ullam , & tuæ Maternæ , Divinæque
Majestatis offendam abutar. Pereant illa ci-
tiùs , quàm iniquitatis ullius fiant instrumen-
ta. Tu Domina Clementissima munus hoc
meum suscipe , tu protege , tu ab omni non
dicam peccato , sed & inordinationis ullius
labe præserva !

Innocentia facit Angelis parem.

Erunt sicut Angeli Dei. Matth. 22.

I. **E**A est humanæ naturæ felicitas , ut Dei
gratiâ , & sollicitâ uniuscujusque
curâ

curâ ad Angelicæ usque dignitatis prærogativam sublimari possit, nempe si inculpatæ vitæ tenorem absque ullius contagione peccati constanter præseferat; quid etenim vulgatum est magis, quam ut is, qui inculpatis moribus, singularique modestiâ vivam in carne spirat innocentiam, passim ab omnibus Incarnatus Angelus vocitetur. An non enim planè Angelicum sit, eum qui peccati fomite, & carnis concupiscentiâ præditus sit, non secundùm carnem vivere, sed virtute naturam superante, corpore quidem in terris, animo autem in cœlestibus conversari. Nihil prohibet nos Angelos fieri, statim ac voluerimus. Ideo castissimi Stephani Levitæ species in Concilio Judæis apparuit *tanquam vultus Angeli stantis inter illos.* Actor. 6. Vide Patthenophile felicitatem tuam, quandiu Angelus es, cave ad bruta unquam per peccatum degeneres.

2. Differt homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute; et si illius Castitas felior, hujus tamen fortior, nec illa apud Deum æquissimum remuneratorem magis meritoria & excelsior æstimatur. Angelus carneis temptationibus liber integritatem suam in Cœlo servat, & loco & naturâ inviolabilis: at homo in terra, *in medio nationis pravae,* illecebris quotidie impetus, dia-

diaboli astutissimi hostis tentamentis ferè continuis subjectus , si incorruptionem Angelicæ parem servet , indubium est , quod potiorem præ Angelo laudem , & lauream mereatur . Ideo fortè Apocalipticus ille Angelus honorari à Joanne recusavit , dum diceret : *Vide , ne feceris , conservus enim tuus sum.* Apoc. 22.

3. Ut arcta est Angelos inter & innocentes morum conformitas , sic etiam intima in amore necessitudo intercedit . Amant innocuas animas Angeli , & ad illorum obsequia promptissimi , frequentissima cum iisdem commercia & amicitiam planè singularem habere sunt conspecti . *Danielem* in lacu leonum paverunt ? *S. Petrum* Cœlestium literas instruxerunt ; *Christinam* ab ægritudine curarunt ; *B. Stanislaum* sacro epulo refecerunt ; *Amor similes invenit , aut facit.* Disce , cum quibus agere , quos amore tuo dignari debeas Parthenophile ? Angelum & porcum quis in amicitiam cogat ? *Noscitur ex socio , qui non cognoscitur ex se.* Plures mansissent Angeli , si nunquam nisi cum bonis conversati fuissent . Ita tu age , ut ex conversatione tecum habita quisque melior abeat ; vicissim cum talibus ama conversari , quorum consortio semper te magis in bono confirmes .

4. Quia verò illi verè amici dicendi sunt , qui non tantùm felici tempore , verùm qui usque ad mortem tales esse perseverant , ideo in hoc maximè suum **Angeli** erga innocentes affectum testari solent , quòd his tunc , dum ab omnibus deseruntur , nempe in agone adefse , eos consolari ; ad cœlum , innocentum patriam , invitare ; tandem vitâ funeralium animas cœlo inferre consueverint . Pleni ejusmodi exemplis sunt libri , quæ pagina ista non capit . O Parthenophile ! aderit etiam nobis suprema illa hora , & fortè brevi aderit , ubi fugient ollares amici , deserent Cognati , nemo hominum juvare poterit , nonne optaremus Angelico ibi frui solatio ? in manu nostra est , ut id impetremus . Vivamus , ut Angelicos mores ad agone usque conservemus , nec dubium sit , quin Angelorum ibi solatia simus experturi .

5. Nec animas tantùm innocentes tanto affectu prosequuntur **Angeli** , propter has etiam corpora curare , & honorare sunt visi . *S. Catharina* Virginis jam exanime corpus ad montem Sinai translatum honorifice sepeliverunt ; *S. Venantii* cadaver à carnificibus projectum , in puritatis semper servatæ testimonium veste candidâ contexerunt ; *S. Dymphna* Virginis exuviis è candido marmore nobilem tumulum erexerunt ; Sic **Angeli** honorant corpora , quæ pro servanda

INNO-

Innocentia tam fidelem animabus operam junxerunt. Est suus nempe etiam conchæ ob margaritam honor, & pretium. Sola-re corpus tuum Parthenophile, quod nunc sensus ab illicitis custodit, quod inediâ vitiis alimenta subtrahit, quod mortificatione in-nocentiæ amittendæ pericula prævertit: olim à Deo & Angelis honorabitur. Sic in-nocens Xaverii corpus hodie dum est incor-ruptum, sic in Ignatii tumulo stellæ micare sunt visæ.

6. Quantùm amant innocentes Angeli, tantùm sordidæ vitæ homines, quíque cum porcis in volutabro luti volutantur, fugi-unt, aversantur, & odêre quām vehemen-tissimè, tanquam sibi maximè oppositos, Scilicet non veniunt nisi ad candida tecta columbæ. Licet nobilitate longóque famu-lorum syrmate spectabilis compareas; hor-rebit & execrabitur te Angelus, si anima tua peccati labé sit sordidata. Sic adolescentem probum adhuc & candidæ mentis ac stolæ amantem, quòd locum pudicitiæ adver-sum adiisset, séque discolorum juvenum so-cietati miscuisset, domum suam reducem impactâ alapâ Angelus castigavit, ictu tam valido, ut tumida pluribus diebus gena per-manserit, exemplo & documento futura: quantùm oderint Angeli, quidquid cum honestate & Innocentia non optimè conve-nit,

ait, Fideles Deo sunt Angeli, ejus hostes odisse debent.

7. Ut suum divina bonitas cuivis hominum custodem designavit Angelum, sic prima Spiritus hujus beatissimi cura, & princeps ante alia omnia sollicitudo est, Clientis curæ suæ crediti animam à peccato, & omni turpitudine immunem conservare. Sic innocentissima illa Virguncula S. Agnes gloriabatur: *mecum habeo corporis mei Custodem Angelum.* Lætissimi sunt Angeli, si Dei præceptis, siveque inspirationibus obsequentem nocti fint Clientem. Sæpe autem Clientum ruinam etiam lachrymis prosequi sunt conspecti. Absit mi Parthenophile, ut tristitiae hujusmodi causam Tutelari tuo unquam præbeas, quin potius Bernardi consilium audias, & *quoties aliqua cernitur urgere tentatio, invoca Custodem tuum, Duftorem tuum, Adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione: inclama, & dic: Domine salvanos, perimus! In quovis angulo, in quovis diuersorio Angelo tuo reverentiam habe; nec audes illo præsente, quod vidente me non auderes.*

AFFECTUS.

O Sanctissime mi Angele, mi Achates fidelissime! cui divina me Providentia Clientem dedit; Vide hinc fragilitatem,

& imbecillitatem meam , inde innumeris
salutis & vitae pericula. Volo quidem , &
quod saepius te etiam teste statui , rursum sta-
tuo , per Dei gratiam , Immaculatae Virginis
Angelorum Reginae intercessionem , & tuam
assistentiam mundo corde , & casto corpore
Deo meo usque ad mortem servire. Verum
quia Angelus Sathanae me colaphisat , ad te
recurrro , tuum , cui commissus sum , auxi-
lium supplex imploro ; tu me , animam ,
corpus meum rege , dirige gressus meos , ne
à semita mandatorum Dei unquam decli-
nent , me ab omnibus laedendae conscientiae
periculis potenter defende : ut laetus Deum
unum tecum hic , & aeternum laudem , amem ,
& benedicam. Amen.

Innocentia servata , Martyribus æquat.

*Qui Christi sunt , carnem suam crucificerunt
cum vitiis , & concupiscentiis suis.* Gal.
5. 24.

I. Nter omnia virtutum exercitia præci-
puam semper laudem obtinuit Mar-
tyrium ; majorem quippe charitatem nemo
habet , quam ut ponat animam suam ; hoc
certissimum est maximi erga Deum amo-
ris argumentum , quando homo pro ea dat ,
quod habet pretiosissimum , nempe vitam :
& sustinet malum , quod est terribilium
omni-

annum terribilissimum , videlicet mōtem. Ideo etiam in cœlo speciali honoris notā , laureolâ nempe Martyrii , tanquam specialis virtutis charæteristicâ præ sanctis reliquis honorantur. Gaude Parthenophile ! quia ad hanc Martyrum dignitatem tua servata te sublimat Innocentia. Habet etiam Pudicitia servata , S. Hieronymo interprete , martyrium suum : nec enim jolum sanguinis effusio in confessione martyrium reputandum est ; sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est ; illi corona de rosis plectitur , huic de liliis.

2. Insignis est Martyrum fortitudo , qua tyrannidem vincunt ; sed Sanctorum Christi purpuratorum pugilum horum pace dixerim , major est liliatorum Innocentiæ Martyrum fortitudo. Habent illi hostem , cum quo congregiuntur ; innumeros Innocentia , cum quibus huic certandum est. Martyrio unius momenti robur sufficit , breve illius prælium est ; Hujus pugna quotidiana est , nec nisi cum vita terminatur. Illud etiam dormiens obtineri potest , hæc continuis vigiliis , indefessâ resistentiâ , perpetè ad Deum recursu eget. Reæ sensit immaculatus Bernardus : *Martyrio omni nobilius martyrium est , spiritu facta , & desideria carnis mortificare , illo quidem , quo mem-*

bra ferro ceduntur , mitius , sed diuturnitatis molestius.

3. Corpus innocens omni sacrificio Deo gratius est holocaustum ; qui corpus Deo in fidei testimonium immolant Martyres , cum hoste quidem rem agunt ! ast sanguinem longè hostem patientur innocentibus in corpore ; quanto enim hostis iste minus armatur ferro , totus in blanditiis , tanto periculosis est cum eo congregari . Una resolutione semel conceptâ finitur sanguinis martyrium ; candidum istud semper in armis . semper in certamine vivere , totque subire Martyria , quot integritatis pericula subire cogitur . *Mibi videtur , ait Origenes : Illius solius esse indefinens offerre sacrificium , qui se indefiniti & perpetua devoferit Continentia .* Gratulor tibi Parthenophile ! tote in celo laureæ præstolantur , quot hic integritatis tuæ pericula vincis . Magne animis : tu tibi ipsi carnifex , tu victima es ; idem Victor & victus ; hostis & arena ; Martyr & Tyrannus .

5. Eam Innocentiae cultoribus Deus traxit fortitudinem , ut nulli ad martyrium etiam truculentum pro Deo ferendum invenantur paratores , quam qui maximè innocui . Vis testes ? *Simeon Tridentinus parvulus à Judæis immanissimos cruciatus & laniganam ridens exceptit . S. Agnes tredecim*

decennis Virguncula, inter ignes Illæsa, gladium læta sustinuit. S. Coronis filius duodecennis ad vitam cum patre in craticula ponendam se ultro obtulit. Et unde tanta pupulis istis Fortitudo, unde tantum in tenello corpore robur? mens recti conscientia nihil timet, nisi peccatum. Innocentia his vires addidit, digni, ut in fortitudinis æquè ac integratatis testimonium ex cœlo nonnullorum corpore cum sanguine simul lac promanaret, Deo magis dilecti quia candidi & rubicundi.

¶. Qui crudelitatem tyrannorum, & fævissima tormentorum genera superarunt innocentes, iidem te ad vincendos fortiter mitiores longè adversarios, tentationes nempe superandas hortentur Parthenophile? potuerunt hi & hæ, cur tu non possis? non à te petitur, ut jugulum carnifici præbeas, mitiora sunt, ad quæ invitaris, certamina: fuge, quid facilius? & hostes tuos vicisti. Quid times? vinci non potes, nisi velis; nisi ultro te hostibus tradas, victor manus; latrare possunt, sollicitare possunt; mordere, nocere, vincere non possunt, nisi volentem. Dum tentaris; victoriæ materiam, occasionem triumphi tibi oblatam esse gaudie; certus, quia non patietur te Dominus tentari super id, quod possis vincere. Si contemptim cum eo agas, nec responso

dignaris, ab ejus suggestionibus mentem
aliò convertas, pudebit hostem tuum, sic
confundi non feret, rariùs insultabit.

6. Nec tamen ita semper imbellis est Inno-
centiae defensio, ut non aliquando etiam
vulnera & copiosi sanguinis effusione stete-
rit. *Lilium* illa est, sed *inter spinas*; *lilium*
est, quod ut floreat, vigeatque illibatum,
multo saepius sanguine innocentes irriga-
runt. *Aloysium*, Incarnatum illum Ange-
lum, interroga, quid calcaria illa tenello
lateri immersa, quid sanguineae innocentis
corpusculi verberationes sibi velint? & in-
telliges hæc decora illa esse vulnera, è qui-
bus plus meriti, quam sanguinis promanet;
hunc esse sanguinem, quo primæ Innocen-
tiae stola nativo in candore conservetur.
Hoc est amare Innocentiam, et pro ejus
tutela sanguinem ultro fundere quis non re-
nuat. Nonne tui te pudet Parthenophile,
cum adeò indulgenter agis cum corpore.
Aude aliquid, meretur Innocentia tua,
Deus meretur, meretur laureola illi in cœ-
lo præparata.

7. Nemo victoriam sine certamine, mi-
nus coronam sine victoria sperare potest.
Duplicem Innocentiae servatæ coronam
Deus destinavit: Virginitatis unam, Mar-
tyrii alteram; utraque diurnas nocturnas
que vigilias postulat, non obtinenda, nisi ab
eo,

eo, cuius, etiam dum dormit, cor ad Innocentiae tutelam vigilat, semper in excubiis. Testem hic statuo Virgineum orbis Thaumaturgum Xaverium, quem cum vigilem adorari metuisset dæmon, ex insidiis aggressus sopore presulum missis minus honestis phantasmatibus tentare cœpit; quæ tantâ ille animi repugnantiâ exceptit, ut copiosum ex ore & naribus sanguinem profuderit; in cuius tam heroicæ puritatis testimonium innocens illud corpus Deus etiamnum vult esse incorruptum, ut publicum orbi prostet documentum, quam gratum Deo accidat protuenda vitæ integritate usque ad sanguinem restitisse. Disce cum animæ tuæ hostibus decertare, ut immarcescibilem olim Innocentiae simul & Martyrii lauream consequaris.

AFFECTUS.

DEUS, qui inter cætera potentiae tuæ miracula etiam imbelli sexui, teneræ ætati, & fragili naturæ victoriam Martyrum persæpe contulisti, pugnandum mihi video cum tot hostibus, quot Innocentiae pericula me undique circumdant. Hinc prava Sociorum hortamenta, inde mille peccatorum irritamenta eam infestant; foris exempla, intus passiones ad malum inclinant; diu neotuque sensus impetunt, dæ-

mēn; tanquam leo rugiens circuit, ut de-
voret, allicit mundus, caro insultat; & quo-
modo tot inter adversarios illæsa victrix
perseverabit fragilitas mea. Satis experior,
aut vincendum mihi est, aut pereundum.
Tu Domine sis fortitudo mea, tu me indue
virtute ex alto, ut tot inter hostes nec ani-
mo concidam, nec corpore succumbam.

**Innocentia facit scientię, & aliorum
Dei donorum capacissimos.**

In malevolam animam non introibit Sapientia.
Sap. 1.

1. **L**iberalissimus in homines divinissimus
spiritus, plurimis eos cœlestium do-
borum suorum charismatis repleret, si se ipsi
capaces redderent. Qui solem excludit,
ignaviæ suæ, non illius efficaciæ ac lumini
adscribere debet, quod mediâ etiam die den-
sa in caligine versetur. Ut non quælibet
aqua objectam recipit imaginem, sed eas so-
lum, quæ sine fæce perspicua est; sic non
omnis anima divinarum gratiarum æquè ca-
pax est, nisi munda sit, & à sordibus omni-
bus depurata; quantoque ad munditiem ac-
cedit purior, tanto recipiendorum Dei do-
norum est capacior. In charta nūmpe, aut
membrana Virginea promptius scribitur,
quam si ea primum ablui, vel per rasuras à
maculis debeat liberari. **Candidorum hæc**
dicta sunt solatio.

2. 18.

2. Inter Spiritū Sancti dona, quæ Adolescentiam præcipue ornant, scientia est; hæc ut petenda, ita expectanda è cœlo est à Patre luminum, ille vos docebit omnia, & sigeret vobis omnia. Joan. 14. Sed ut columbae sorores horrent, non adeunt nisi candida testa, ita *Spiritus Sapientia in malevolam, & sordidatam animam non introibit.* Innocentia morum est optima ad excellentem in studiis gradum consequendum dispositio; eò quod ipsa mentis & corporis puritas intellectum, memoriam ad acquirendas scientias longè habiliores faciat. O Studioſi, quam longè majores in bonis literis, quibus operam datis, progressus faceretis, si conscientiæ vestræ puritati accuratiùs consuleretis. Ingenii hebetudini, & negligentiæ adscribitur in scientiis defectus, qui meum dissolutioni & ad certa vitia propensiōni attribuendus esset.

3. Impuritas belluinum vitium est, ideo hominem etiam insignibus ingenii dotibus donatum, si sensuum & corporis illecebris se immiserit, ad vilissimam abjicit conditionem, æquatur irrationalibus, iis nempe, de quibus innuit scriptura: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Psal. 31. Certè scientiarum affectioni, reconditorum mysteriorum contemplationi, ac occurrentium difficultatum enodationi

omnino necessarii sunt Spiritus vitales, iisque
subtiliores; qui cum in voluptatis expensas
consumantur, quid in homine remanet, ni-
si vappa sine Spiritu, amurca quæpiam cras-
sa, & ad formandas subtiliores cogitatio-
nes inefficax, & inepta? Etiam Salomon
tamdiu erat sapientissimus, quamdiu vixit
innocens; postquam vitæ impuritati se tra-
dedit, recessit ab eo sapientia, factus est de-
mentissimus. Ubi quis ab integritatis stu-
dio, ibi à studiorum profectu discedit.

4. Inter Prophetas excelluit *Isaias*, sed
non intelligentiæ dono magis, quam puri-
tatis. *Daniel* erat suæ ætatis oraculum, sed
cultor simul & defensor Innocentiæ. *Jo-
seph* Ægypti Prorex, quamdiu Virgo, erat
Sapientissimus, obmutuit idem, dum nu-
ptias adiit. Inter Apostolos *Paulus* facile
doctissimus, imò Gentium Doctor; inter
Evangelistas *Joannes* aquila; inter Doctores
Thomas præstantissimus, quia vitâ & mo-
ribus Angelus, quantum singuli doctrinâ,
tantum vitæ Innocentiâ excelluerunt. Neo
Ethnicos veritas ista latuit, ideo *Plato* lu-
mine fidei destitutus licet esset, suavit ta-
men: eum, qui sapientiæ obtinendæ te-
netur desiderio, à carnalium illecebrarum
usu esse debere quam remotissimum; *Vita
enim salax & dissoluta, (ut observat Se-
mea,) generosos & altos Spiritus frangit,*

Et à magnis cogitationibus ad humillimas abjectissimas detrahit.

5. Ut cura Innocentiae juvat ad sapientiam consequendam , ut diligens & accuratum hujus obtinendæ studium & conatus plurimum facit ad illam in suo nitore conservandam, ita diligens & accuratum hujus obtinendæ studium & conatus plurimum facit ad illam in suo nitore conservandam. Enimvero qui diligentem studiis navat operam , otium omne procul removet, quo semel sublato ferè in tuto est iunctio. Otium quippe est, quod malitiam docet. Qui assidui sunt in studiis, intellectum honestissimis cogitationibus occupant, nullum vitio ulli vel tempus , vel locum sinunt ; ad omnes temporis minutias operi suo attribuendas intenti, beatissimi simul vivunt & innocentissimi ; seduci non possunt, quia pluteo suo affixi raro pedem domo efferunt; nec procaces in loquendo , nec vagi per compita , nec curiosi per fenestras prospectant, nec noxias ineunt familiaritates ; adeò avari momentum omne colligunt , ut nec diabolo ad tentandum tempus relinquant.

6. Studeat , qui vult manere innocens , saepius agat cum mortuis , quam vivis ; libris , volo dicere , plus tribuat , quam colloquiis. Juvenis ingenio præditus , & negligens pessima dat morum non optimo-

rum indicia; terra nempe fœcunda, si fructus nihil ferat, lolia parturit; ingerium non otiatur, vel bonis intentum est artibus, vel perversis. Studiis occupanda est Juventus, ne fiat mala. Absit tamen, ut doctrinam quærens oculos unquam impuris voluminibus addicat; hoc enim esset inter fœces•pisca•scari, plûsque sordium colligere, quam margaritarum. Pereat illa scientia, quæ officit conscientiæ. Puriores non defunt fontes, unde illimis hauriri possit sapientia, cur eam in luto consecutemur; ut socii, cum quibus agendum nobis est, legendi sunt optimi, sic & libri, qui nobis quasi loquantur, feligendi sunt probatissimi. Investiga libros tuos, si quis est, qui venerem olet, ignibus ignes abole; pereant, ne perdant; ardeant, ne accendant.

7. Sapientia & Innocentia sunt præcipua hominis, præcipue verò Juventutis magnas in spes educatæ ornamenta, in his qui excelluerit, omne tulit punctum; per il·lam recedit ab irrationali, per hanc pro·piùs accedit ad Deum. Sorores hæ sunt, eâdem in fede commorari amant, altera adjuvatur ab altera, una alterius studet in·cremto. S. Gregorio Nazianzeno utra·que humanam induitam formam apparuit, & unam sine altera vivere, vigerèque non posse asseruit; Divo Laurentio Justiniano
Juve-

Juveni scientiarum avidissimo Divina Sa-
pientia spectabilem se præbuit, utque vitæ
Innocentiam, perpetuamque sectaretur Vir-
ginitatem periuasit. Nempe sine qua, ut
affirmat S. Thomas de Villanova *frustra quis*
~~sæ~~ *in signem eluctari sapientiam contendit.* Ha-
bes hic Parthenophile! omnia hominis ve-
rè insignis elogia in synopsim redacta; si du-
ctus sit, & pudicus. Si alterutram tantum
consecteris, dimidium te crede hominem.

AFFECTUS.

O Domine JESU Christe, Sapientia Pa-
tris æterni! in quo sunt omnes thesauri
Sapientiae & Scientie DEI absconditi, da mi-
hi sedium tuarum affstricem *Sapientiam*,
non eam quidem peto *Scientiam*; quæ in-
flat; non quæ in persuasilibus humanae sa-
pientiae verbis extollitur in arrogantiam,
Sapientia enim *bujus mundi* stultitia est
apud te Deum meum; sed da intellectum,
qui te cognoscat; da valuntatem, quæ te
super omnia diligat; & quia *initium Sapien-*
Tior Domini est, hunc cordi meo
infunde, ne scientiarum cognitione in elati-
onem abducatur, & in mirabilibus super me
habitem, sed in simplicitate cordis & purita-
te vitæ illam ad augendum in me ac aliis san-
cti tui nominis timorem pariter & amorem

impendam. Hæc enim sola vera est sapientia & sanctitas: ut cognoscam & amem te verum Deum & Dominum meum JESUM Christum!

Facilius est Innocentiam servare,
quàm pœnitentiam agere.

Modicum fermentum totam massam corrumpit. 1. Cor. 5.

Non est verior justi doloris materia, quàm si quis amittat Innocentiam, de tali justa cum admiratione gemitus ille repeti potest: *Quomodo abscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* margarita longè pretiosissima projecta est ante porcos; tenerimus ille primævi nitoris flos in putredinem, lilyum in lolium abiit; Parthenius Jovenis, Angelorum collega, cœli delitium, spes moderatorum, factus est mancipium diaboli, opprobrium DEI, alimentum inferni, cœli terræque desolatio! pulchram te adhuc, illibatam credo habere animam; mortuum te priùs audire opto, quàm ut seductum, pravis deditum confuetudinibus, passionum tuarum te factum esse captivum intelligam. Hic nulla cautela est nimia, ubi pericitatur innocentia.

2. Primus omni conatu vitandus est lapsus, à quo nemp̄ unico pendere potest tota æternitas;

itas. Quot non sunt, eruntque ~~æternum~~
 ignis inferni pabulum propter unicum pec-
 catum. Quid Lucifero quondam pulchrius?
 & hic tam decorus, tam speciosus Angelus,
 cum asfleclis suis omnibus, ob unicum pec-
 catum, semel tantum, idque solâ cogitatio-
 ne commissum è cœlo præcipitatus est in in-
 fernum. Et tu tibi miser homuncio, vilis
 terræ vermicule fides vel semel peccare? si
 Deus Angelis non pepercit, sed ob unicum
 peccatum rudentibus inferni detractos in tar-
 tarum dedit cruciandos. 2. Pet. 3. Quid te futu-
 rum censes? si vel unico animam scelere
 commaculare præsumas, cave primum; præ-
 occupa, & averte etiam primi periculum.

3. Facilius inveni, sensus est S. Ambroſii,
 qui innocentiam servaverunt, quam qui debitam
 post peccatum egerint pœnitentiam. Multa sunt,
 eaque valde difficultia, quæ ad veram pœni-
 tentiam requiruntur. Dolor debet esse su-
 pernaturalis; propositum quam firmum? adeò
 ardua hæc sunt, ut viribus omnibus naturæ
 altiora sint. Age, quidquid unquam voles, &
 quantum vales, tuis tamen viribus hæc non
 assequeris. Ideo tam severa, tam longa, to-
 tiésque repetita fuit plurimorum Sanctorum
 pœnitentia, quia nempe peccati à se com-
 missi consci & memores, de pœnitentia ri-
 tè, ut oportet, à se acta scire non potuerunt;
 nec ullus ex omnibus est, qui absque divina

Revelatione scire possit, an peccatum sibi sit remissum? & quæ, quāmque justa hinc mentis angustia, quām anxia perpetuāque sollicitudo? si semel peccas, perdita est pro semper animi malacia, quies animæ perpetuis fluctibus commutata.

4. Si vel semel graviter deliquisti, fortè implorasti mensuram illam, quām unicuique hominum à Deo, Domino nostro absoluto, constitutam esse communis est SS. Patrum doctrina, quæ apud multos, fortè etiam apud te, ultra unum peccatum se non extendit, quo commisso, heu! vel cogitare horror est, quām miser, & infelix es, seu vivus sis, seu mortuus! vivus, ob indesinentei conscientiæ temorsum; mortuus, ob intolerabiles, ad quas æternūm condemnaberis pœnas. Heu! quām facilis descensus averni! unus passus sufficit, ut ex templi pinnaculo in barathrum ruas. Nulla tum tibi Sanctorum patrocinia, minùs propria merita & conatus proderunt; triste ac tragicum illud tibi accinetur. Tempus non erit amplius; jacta est alea; impleta mensura; lata sententia; ego Deus, & non mutor. Qui stas Parthenophile! vide ne cadas; forte nāmque primus casus, quem incurres, eritinemendabilis.

5. Licet admisso etiam peccato scires tempus tibi, & gratiam insuper non tollendam,

dam, quō minus veram agere possis pœnitentiam, tamen peccato etiam unico incomparabilia tibi damna demens irrogares. Nunquam totā viā, etiamsi Mathusalem annos attingas, etiamsi vita sanctitate & austeritate ad Sanctorum Martyrum, aut Confessorum merita & fervorem assurgas, tantum facere posses boni, quantum mali unico peccato committeres. Et quid si datum illud justâ libellâ expendamus, quod peccato gravi semel admisso irreparabiliter perdas innocentiam, laureolam innocentibus in cœlo præparatam nunquam obtenturus. Licet post peccatum commissum, hoc Deus remitteret, tūque actâ ritè pœnitentiâ salvareris, haberes etiam in cœlo materiam perpetuò dolendi, dum nempe vides, quām frivolè, quām indignè incomparabile illud Innocentum in cœlo præmium, Virginitatis laureolam, prodegeris, & amiseris. Cave primum peccatum, & salva sunt omnia.

6. Si vel semel pecces, jam tibi viam ad interitum referasti, facilis eò descensus; nec facile in uno ad ruinam passu consistes, profundius laberis; tum quod gratiâ D E I per peccatum privatus pronior fias ad lapsum; tum quod dæmon unâ jam victoriâ contra id obtentâ fiat audacior, tēque iteratò sœpius in ruinam agere præcipitem confidat.

Qui

Qui ex alto ruit, non facile figit lapsum, sed
 velut nix è montis vertice moveri cœpta,
 præceps volvitur, & teneri impatiens, sese
 augmentare non cessat, donec ex summo in
 imum devolvatur: ita planè quò altiori
 apud Deum loco est Innocentia, si hæc sub-
 limitatis suæ oblita declinare, & terram
 respicere incipiat, prouum est, ut labi non
 citius definat, quām vivere, dūmque in pro-
 fundum venerit, contemnat. Terreant te,
 utinam Parthenophile! vestigia; Primum
 cave peccatum.

7. Vel unicâ vice graviter deliquisse, in-
 gentem post se trahit malorum iliadem.
 Si peccâsti, jam dejectus es dignitate maxi-
 mâ, non enim amplius es filius Dei, sed
 mancipium diaboli, cœlum, id est hæredit-
 atem tuam prodegisti, & infernum merui-
 sti; non es æmulus Angelorum, non corri-
 valis Sanctorum; testimonium bonæ con-
 scientiæ, id est, illum jugem sinceræ læti-
 tiæ fontem, certissimum æternæ prædesti-
 nationis signum amisisti. Si peccasti, jam
 non imitaris M A R I Æ integratem; con-
 culcasti passionis Christi merita; tua, quæ
 unquam obtinueras, pefsum dedisti. Si se-
 mel peccâsti, semper habes, quòd timeas,
 quòd mortem exhorrescas, quòd Divino
 tribunali fisti totis artibus contremiscas.
 Quantum non doloris est argumentum, tam
 incu-

incurium te vixisse tui ! quām facile fuisset
Innocentiam conservāsse ? uno renutu ; unā
tui appetitū victoriolā, unā resolutione , ac
modicā generositate fuisset opus , ut tanta
vitares mala ; præverteres damna tam lucis
cessantis , quām damni emergentis.

AFFECTUS.

O Domine Pater misericordiarum ! fons
omnium donorum ! quid retribuam ti-
bi Domine pro omnibus quæ tribuisti mibi.
Creāsti me, cùm perivissem ; tot naturæ gra-
tiæque donis cumulāsti me ; paulò minus ab
Angelis honorāsti me. Una mihi adhuc gra-
tia tua Deus supereft, illa, sinè qua inutiles
mihi forent reliquæ, nempe constans vitæ
Innocentia. *Omnia possum in eo, qui me con-*
fortat ; conforta me Domine , ut peccato
non consentiam. Te per bonitatem tuam ,
per sanctissimæ passionis tuæ merita , hanc
gratiam , quām possum instantissimè oro , &
orabo. Ne me inducas in temptationem , sed
libera me à malo , id est à malo pessimo , pec-
cato.

Velle amari est pestis Innocentiae.

Fili , si te laetaverint peccatores , non acquie-
scas eis. Prov. i.

Plerumque peccati principium , sicut
pestis , contagione contrahitur : dum
incau-

incauta & nescia timere juventus timet talibus displicere , quibus malum placet. Pauci Primam innocentiam perdidissent , si pravorum affectum blanditias , & amorem dicidissent non amare ; sed quia amari illis volupe erat , sub blando amoris praetextu didicernunt , quae praestabat aeternum ignorare. Testis unus pro mille sit Augustinus : *Libebat malum facere , non tantum libidine mali , sed etiam laudis.* Quid dignum est vituperatione , nisi vitium i ego , ne vituperarer , vitiosior fierbam ; *O* ubi non supererat , quo admissi aquarer perditis , fringebam me fecisse , que non feceram , ne viderer abjectior , quo innocentior , *O* ne vilior beberer , quod eram ca^{gi}or.

O nimis inimica amicitia , & seductionis mentis investigabilis ! cum dicitur : camus , faciamus , & pudet non esse impudentem . Amare est bonum velle , hic autem amor maximum odium est , quia maximum malum docet : non est amicus , qui ad Dei inimicitiam tibi viam sternit .

Quem diabolus pravis suggestionibus ad peccatum impellere nequit , prava , sub i specie amantium , societas seduxit ; vae innocentiae inter malos ! non diu manebit integra , dum enim his placere appetit , facile admittit , quod lex , quod natura , quod Deus vetat .

Nec

Nec ama , nec amari admitte , nisi à pro-
bissimis . Cautelâ hic , si ullibi opus est .
Tales habeto amicos , monitum est Hierony-
mi , quorum conubernio non infameris . Non
ornentur ueste , sed moribus , non calamistris
crispent comas , sed pudicitiae habitum policean-
tur . Si dubitas , cum quo securè amicitiam
fovere possis , Moderatores tuos consule ,
perspicaciores illi sunt .

*C*rebra munuscula , *G* dulces literulas ,
G suaviola , *G* prægustatos cibos sanctus
amor non habet , bac enim omnia carnem
sapiunt , docet Hieronymus : Blandiri ,
suaviculari , manus , faciem mulcere , tru-
dere , ve licare , titillare , & id genus le-
vitates exercere castus amor non novit ;
horret oscula , tactum omnem subterfugit ,
Iesus , in quibus pro victoris arbitrio poena
dictetur , non admittit ; joci isti non sunt
joci .

Si quis ab occupatione tibi præscripta te
ad nugas invitat ; si à studio ad otium , à
templo ad vagationem abducat ; si bona
opera in jocum trahat , devotionem tuam
irrideat ; à moderatorum conversatione
abstrahat ; si pronus in levitatem , verba
etiam joco talia spargat , quæ cum hone-
state minus convenient ; si angulos amet ,
in tenebris agere , circumire soleat ; si rarus
in templo , aut in eodem tam oculis , quam

corpore vagus ; in studiis negligens ; si Moderatorum oculos ubi ubi potest , longissime fugit , hic niger est , hunc tu Parthenophile caveto , in amicorum tuorum catalogum non a ⁱⁿ itte.

Etenim diabolus novit se in Angelum lucis transfigurare ; mali quoque non statim apertere tales sunt , imò fictè & ex composito primùm bonos piósque se fingunt , ut tantò facilius affectum obtineant . Sicut aves ex cantu , ex fructu arbores , sic boni , malive ; non uno aspectu , sed ex verbis & operibus facilè dignoscuntur .

Si casu , aut errore in aliquem incidas , qui ad malum , esto non maximum , invitet , hic generositate opus est ; fuge ; abi ; negotia prætende . Si abire non possis , apertere nega , reluctare ; si non aliter , clamore te tuerere . Novi , qui pugno , dentibus , qui gladio suam tuitus est innocentiam . Dic cum S. Agnete : Amo Deum ; nullum prater eum amatorem admittam . Melius est malorum odium pati , quam affectum experiri .

Spectacula , Hospitia , Societates publicæ sunt Innocentiae pericula .

Va vobis , qui ridetis , quia lugebitis & fæbetis .
Luc. 6.

Prostituit innocentiam , venalémque ponit , quisquis publicis eam spectaculis ,

his, aut diversoriis infert; pretii ejus incarius aut ignarus, eam prodigere non curat, dum sponte mille periculis objicit: quotquot enim in talibus locis blandi oculorum jactus, quot molliculi gestus videntur; quotquot verba mellita percipiuntur; quotquot blanditiae & affectuum contestationes spectantur; tot parati expectant gladii in ruinam Innocentiae expediti.

Quò promiscuè cuilibet intrare licet, quanta non ibi hominum turba, eaque sine delectu confluit; quot non inter hos perversi? & his tu misceare? Juberis vitare etiam unicum, & quomodo te medium tutò inferes multitudini, eique otiosæ, vagæ, gulae & delitiis deditæ?

Ibi joci, nugæ, cantus turpitudinem olentes, audaces gestus, agendi loquendique libertas, dictoria fôrdida, fœdissimæ allegoriarum, millena denique inhonestatis exempla impunè circumvolant, quanto quis protervior, imò fœdior, tantò illie acceptior, & quid ex his nisi cupiditatis excitatio, & irritamentum libidinis expectari potest.

Ad Comædias intrare, ait S. Chrysoft. idem tu de publicis aliis conventiculis cogita, est intrare ad communem luxurie officinam, ad publicum incontinentia gymnasium, ad cæbularam possidentia, ad omnis impu-

impudicitia orchesteram, ad fornacem Babyloniam, & tu tamen tutam tot inter pericula eredes innocentiam?

Nullibi periculosis versaris: alibi singula quasi tela per singulas sensuum rimas mittuntur in animum; in spectaculis autem, diversoriis, societatibus publicis omnes sensuum portae ad omnem peccatorum licentiam largissime aperiuntur. In aliis si oculus forte in impurum aliquod objectum impingit, tunc tamen, aures in tuto sunt; si auribus alibi per verba minus honesta virus instillantur, mens manere potest intacta. In publicis autem societatibus nihil vacat peccato, & concupiscentiis animus, & vocum obscenitatibus aures, & mille turpidinum illiciis oculi imbuuntur; totus hic impugnatur homo, corpus & animus una impetuntur.

Et ubi facilius disci possunt vitia, quam ubi mille sunt magistri, ac ubi brevis via per exempla; quæ non sequi pudor sit? non excedere posse contemptus & vilipensionis materia.

Natura tua per se corrupta, & pondere proprio ad malum omne proclivis quomodo stabit innocens & immota, ubi tot ad easum impellitur machinis, quot pessimis audacium exemplis manaducitur, & insuper exquisitis gulæ superdiis,

diis, & vinorum varietate ad maiores flamas excitatur.

Nec ullus hic excusationi locus: te nempe nihil mali intendere, te distractionem animi & recreationem quererere; hanc enim non prohibeo, sed talem cupio, quæ conjuncta non sit turpitudini, non offensæ Dei, non ruinæ innocentum proxima. Nisi tu recreationem esse dicas, ea committere, unde materiam lachrymandi sumit Angelus tuus Custos, vulneratur conscientia, offenditur DEUS. O infelix recreatio æternorum fluctuum materia!

Sed nec id mihi obtendas: spectare te ista, nec commoveri; audire te posse turpia, quia ad animum transeant: dicens haec, sed fortè nec ipse tibi credis, certè ubi tot & tanti lapilli sunt, nec tu credere deberes te labi non posse. Numquid lapideus es, aut insensibilis?

Ocium Innocentiae infestum.

Qui autem seculatur otium, Multissimus est.
Proverb. 12.

OMNEM quidem malitiam docuit otiositas, nullam tamen aut frequentius, aut efficacius persuasit, quam impuritatem, labem Innocentiae. Ut aquæ, si otiosæ stant, bufones & ranas; terra, nisi sarculo aut aratro exerceatur, lolium progerminant, sic in otioso homine nihil nisi cogitationes pravae & concupiscentiae turpes enascuntur.

Inest homini per Adæ peccatum depravato peccati fomes ad malum inclinans; radix concupiscentiæ nobis est innata; calor ad hæc in Juvenum venis bullit; ex quibus nihil nisi incentivâ mali sperari possimus; his si otium accedat, oleum flammæ additur, unde nihil præter innocentia rui-nam expectari potest.

Semper quidem timendum innocentia est otium, matutinum tamen est longè periculosissimum, dum nempe mens post somnum velut in caligine & crepusculo quodam constituta nec malum statim ita clare perspicit, nec satis est ad pugnam debitam comparata.

Adest hic illico præcursor dæmon, qui semper nostra in damna oculatissimus excubat; ex insidiis semisopitum aggreditur, præoccupat cogitationes, turpibusphantiam speciebus imbuit, quin & animales spiritus in malum proniores commovet; his si otium jungatur, si quis piger *in lectulo*, velut perta *in cardine* hinc & inde versatur, si excusso jam somno tempus in lecto trahitus facillimè labes infertur innocentia.

Ambitiosus est dæmon, primitias diei sibi vendicare satagit; inde importuni hi illius conatus, ut primas post somnum cogitationes sibi faciat veltigales. Nec levi hic opus est habitu, ut assuefas, primitias diei offer-

re Numinis. Prima debentur Primo. Crucifixata, & mente ad Deum elevata, confundendus est dæmon. Felix, qui tam bene diem orditur.

Multum errat, qui errat in principio. Ut dimidium facti, qui bene cœpit, habet; sic multum sanè perdidit, qui diem à capite statim it perditum. Si linea statim in principio exerret à centro, quantus non error est expectandus. Ut à primo solis ortu diei serenæ vel turbidæ statum augurari licet, sic tū diei, quem inchoas, successum à prima cum virtute vel vitio origine metiri poteris.

Nec minori otium illud, quod à cibo potuque sumpto se insinuare solet, vacat periculo. Ubi novum igni adjectum est pabulum, ibi potentiores assurgit in flamas; ut sine Cerere & Baccho friget, sic his præsentibus calet Venus; hanc ubi otium fovebit, ruinam minatur Innocentiæ. Fuge à dæmonio meridiano, ne te cum Davide præcipitet.

Ubi otium, ibi dæmon, nec vagus & quasi per transitum, sed in pulvinari commorans, nec unus tantum Asmodæus, sed in numeri. Negotiosos, ut ostensum est S. Antonino, comitantur Angeli, otiosis mille dæmones sunt infesti.

Si vis consultum innocentiae tuæ Parthenophile! nunquam ex toto sis otiosus; vel

lege, vel scribe, vel ora, vel seruum aliud negotium exequere. Qui diligenter student, indefessi laborant, plerumque vivunt innocentes. *Ama literarum studia, opportunè monet S. Hieronymus, Et carnis vicia non amabis.* Qui semper debitè est occupatus, nec dæmoni, nec ejus temptationi tempus concedit ad nocendum.

Horas omnes, imò & ejus particulas in numerato habe, suam cuique occupationem designa, ut nulla ne dicam dies, imò nec hora sine linea effluat.

Vintum Innocentiae venenum.

Luxuriosa res vinum. Proverb. 20.

UT prima Protoparentum Innocentia per gulæ incontinentiam perdita est, ita eadē etiamnum persæpe patitur ruinam. Gulæ dediti plurimis sunt vitiis obnoxii, vice versâ: Temperantia, & debitis cibi potusque moderatio est radix conservandæ gratiæ, puritatis tutela, mors culpæ, temptationum excidium; vicissim Intemperantia est robur passionum, depravatæ naturæ consortatrix, libidinis irritamentum, & pravorum habituum somen-
tum.

Temperantia certior est Innocentiae conservatrix, quam mortificatio corporis; hæc siquidem ad breve tempus reprimit concupi-

piscientias, abstinentia verò vitiis omne subtrahit alimentum; sicut lignum, cæteraque ignis materia si subducatur foco, metuenda non est flamma, ita secundum vetus verbum: sine Cerere ac Baccho frigebit Venus, non exardescet concupiscentia.

Tot hic Temperantiæ laudatores, tot testes habeo, quotquot suêre cultores Innocentiæ. Semper Virtutis cibus Temperantia fuit. Princeps humani generis quamdiu abstinenſ, tamdiu in paradyſo fuit, peccatum ignoravit; ubi comedit, amisit Innocentiam, carnis rebellionem expertus. Quidam sunt, qui hodie dum se Adæ filios esse probant, tamdiu nempe boni sunt, quamdiu sobrii, ubi temperantiæ excessere limites, Omnes simul vitiis cataractas aperuerunt.

Semper juncta est, uti Virgineus advertit Bernardus, saturitati lascivia: qui purus esse desiderat, sobrietati studeat, sine qua non dia secura est castitas, illâ proficiente decrescit. Quidquid supra exigentiam naturalis alimenti corporis ingeritur, totum id in materiam libidinis degenerat.

Ardet calore interno adolescentia; eam in omne vitium non tantum inclinat, sed propemodum trahit & impellit natura: bulliens adhuc in venis sanguis provocat ad illicita; his si vinum affundas, id est, oleum flammæ addas, quid expectandum aliud,

quam ut misera juventus crescente concupiscentiae incendio latè ardeat, puritatem super carbones denigret, & Innocentiam nitore amissio tristi cinere sepeliat.

Quid si vinum ad ebrietatem usque & crapulam hauriatur? ibi sanè conclamatum est de Innocentia. Ubi enim extinguitur ratiō, ibi natura dominatur, & velut excusso aurigā, ruptisque lupatis equi fericiores currum per præcipitia raptant, donec comminuant; sic lumine rationis per intemperantiam vini sublato sine lege, sine modo grassantur passiones, quibus imperium occupantibus, quæ diu integrè servata fuit mentis & corporis integritas, turpissimè prodigitur.

Ebriosus sui, Dei, honestatis, obligacionis, verecundiæ immemor, nec angulos quærit, nec tenebras expectat, sed ruptis honesti repagulis prodit, quidquid latebat in natura; & emortua pridem vitia novam reducit ad vitam; eaque passim & palam audet, de quibus sobrius vel cogitare erubuisse.

Ideo Hieronymi ad Virginem Eustochium scribentis monitum fuit: Si quid inquietabat, in me potest esse confitī; si experto creditur; hoc primum mones, hoc obtestor; ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hac adversus adolescentiam prima arma sunt da-

*monum. Vinum & Adolescentia duplex
est incendium voluptatis.*

Si vino tibi abstinere difficilè videatur,
sume, sed instar medicinæ; mensuram ne-
cessitas definiat, non appetitus; sume, sed
cum modo; sume sed dilutum; sume defi-
nitis prandii, cœnævè temporibus, non qua-
vis occasione oblatâ.

Sequior sexus Innocentia naufra- gium.

*Propter speciem mulieris multi perierunt,
ex hac concupiscentia, quasi ignis exarde-
scit. Eccl. 9. v. 8.*

Postquam à muliere factum est initium pec-
cati. Eccl. 15. Postquam Protoparens
noster muliebri captus affectu primam inno-
centiam perdidit, meritò cuilibet Innocen-
tiam suam zelanti suspecta esse debet cum
illa conversatio; nisi quis fortè, aut Samso-
ne fortior, aut Davide sanctior, aut Salo-
mone videri velit sapientior. Qui sic præ-
fudit, citius labetur.

Sit hic fides Augustino experientiam suam
alleganti: *Experto ait, crede: coram D E O
non mentior; cedros libani, duces gregum
sub hac pelle concidisse reperi; de querum ca-
su non magis suspicabar, quam Hieronymi,
vel Ambrosii. Quid tu fragilis arundo fidis?
ubi columnæ cedunt.*

Post Innocentiam diu servatam, post vi-
ctorias de inimico s̄epe relat̄as, post pluri-
ma bona opera, imò & patrata prodigia
naufragium fecē re Innocentiæ, qui non can-
tē satis oculos à forma, aures ab alloquio,
vel à conversatione abstinuerunt. Quantos
leones, miratur S. Cyprianus, domuit una
infirmitas delicata?

Ut solo visu, sinè aliis machinis, absque
strepitu, etiam Heroem occidit basiliscus,
ita mulieris vel intuitus, vel vicinia, taceo
conversatio, & adulatio nocet. Commo-
rari Leoni & Draconi placebit magis, quām
habitare cum muliere. Eccl. 25. Quantò eris
à mulieris blanditiis, conversatione, affe-
ctu, arrisu, munusculis, litterulis, præsen-
tia remotior, tantò Innocentia tua florebit
tutior. Ut procul à Jove, procul à fulmine:
ita procul à muliere, procul à periculo.

Speculum Innocentiæ *Aloysium* inspice,
quisquis integritatem tuam cum illo cupis
habere illibatam. Sæcularis adhuc Marchio
ne vel à Matre sua, vel vestis emaculandæ
gratiâ, tangi sustinuit; triennio in aula Re-
ginæ Hispaniarum honorarios inter ephebos
versatus, ne vel semel Reginæ vultum con-
spexit; in lusu feminæ umbram vicino pa-
rieti incidentem osculari jussus, velut fulmi-
ne ictus, profugit. Hic nempe scivit pre-
cium Innocentiæ æstimare, imò hic scivit, &
dociat

docuit eam integrum conservare. Hujus si plures forent imitatores, plures sine dubio ætas nostra numeraret innocentes; sed quia multi sunt, qui amant speciosum hoc periculum, multi sunt, qui pereant in illo.

Raros *Josephos* ætas nostra exhibet, qui relicto pallio, contempto favore, spebus, illiciis, manibus Dominæ se eripiant; Raros *Aquinates*, qui pellaces feminas ardenti titione arceant, & à se procul dimoveant: Raros *Nicetas*, qui præmorsam linguam imlenocinantis mulierculæ faciem fortiter expuant. Auge tu numerum, & his Innocentiae Heroibus te socium junge.

Pepigit olim fædus cum oculis suis Job, ut ne quidem cogitaret de Virgine. Docuit exemplo vir aliâ secundum cor Dei *David*, quid obsuerit vel è dissito mulierem conspexisse. Testis est *Solomon*, quò muliebris deducat conversatio. Tam luculentis horum exemplis qui non sapit, nihil sapit.

Non damno feminas, non dico, quòd malæ sint aut seductrices; multas publico veneramus cultu; plurimarum celebramus puritatem etiam vitâ & sanguine defensam. Bonæ sint, sanctæ sint, verùm tamen semper erit, quòd disparis cum dispari sexu coaversatio periculo non careat.

Domestica pericula magis cavenda, sunt semper in insidiis, prior hic occasio, &

quò vilior earum est conditio, tantè facilior
est ruina.

Natura est Innocentiae Inimica.

Si secundum carnem vixeritis, moriemini.
Rom. 8.

EA est humanæ naturæ conditio, ut *sensus cogitatio hominis in malum prona* sint ab adolescentia sua. Gen. 8. v. 21. Postquam nempe originalem innocentiam in Paradyso Adam malo illo pessimo abligavit, corrupta est natura nostra; quam prout naturali generatione omnes trahimus, ita suus cuique inest peccati fomes, qui semper ad malum inclinat.

Caro concupiscit adversus Spiritum. Commune hoc omnibus malum est. Totus mundus Xenodochium factus est; in quo sacro igne omnes laborant; *totus mundus in maligno*, in malo igne positus est, inde ardor ille concupiscentiae. Facilius aliis caremus vitiis, hic hostis nobis inclusus est, quo cunque pergimus, nobiscum portamus inimicum, nec sinè illo vivere, nec cum illo satis à peccato tuni esse possumus.

Nulla ætas immunis ab hac lucta, parvulis ante alia omnia innoceſcit; ut lolium etiam tellure inarata sponte sua germinat, ita parvuli priusquam doceri, aut intelligere satis possint, quid peccatum sit, iam ad hoc

hoe inclinantur, & naturâ insinuante discunt,
quæ prodeßet æternum ignorare.

Par sene autem comitatur infelicitas, ut
sicet à viribus omnibus derelicta sit, à con-
cupiscentia tamen adhuc ei periculum im-
minere possit; hinc illa Ursini effæti senis
jam jam expiraturi sollicitudo fuit, dum enim
arteriam suam à femina, num expirasset,
tentari sentiret, collectâ voce dicebat: Re-
cede a me, abduc igniculus vivis, paleam tolle.
Si semimortuus ita sensit, quid par est eum
sentire & agere, qui pulveris instar pyri se
quavis scintillâ excitari sentit in incendia?
nempe sincerius judicamus in agone, quam
dum adhuc vivimus.

Nec inediâ expelli, nec flagris exuti,
nec aliis carnis vexationibus plenè fugari se
malum istud sustinet. Hieronymum audi:
Horrebant sacco membra deformia, & squal-
lida; cutis situm æthiopica carnis obduxerat:
quotidie lachrymæ, quotidie genitus, & si
quando repugnantem somnus imminens op-
preßisset, nuda humo vix ossa barentia colli-
debam. De cibis verò & petu taceo; cum
etiam languentes Monachi aquâ frigidâ utan-
tur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit.
Ille igitur ego, qui ob gehenna metum talis
me carceri damnaveram, scorpionum tamen
socius & ferarum saepe cogitatione choris in-
teroram puerarum. Pallebant ora jejuniis,

Omnes desideriis astunbat in frigido corpore,
C ante boninam jam carne prae mortuum sola
libidinum incendia bulliebant. Ita ille; &
quomodo tu sentis, si experientiam tuam
consulere velis?

Nec minus locuples testis est Paulus.
Grandis ille Gentium Doctor, ille tertium
in cœlum exaltatus Apostolus; dum gemit:
aliam se legem sentire in membris, repugnan-
tem legi mentis; nec semper bonum, quod
vellet, agere se posse, sed malum quod
nollet, pati debere. Adeò inimica semper
virtuti fuit natura. Inscrutabilis Deus sapi-
entia hanc in homine luctam ordinavit, non
ut illi occasio fieret ad ruinam, sed ut stimu-
lus esset ad victoriam. Præmio afficere,
coronare voluit Deus hominem, qui vi-
ctor esse non poterat, nisi hostem haberet,
quem debellaret.

Tentari malum non est, modò sciamus
ex tentatione facere proventum. Qui non
tentatur, quid scit? quid meretur?

Tam pusillanimitas à nobis procul esse
debet, quam temeritas; haec, ne nos ultro
tentationes excitemus; illa, ne occurrenti-
bus succumbamus. Qui naturam sequitur,

cœcâ duce in foveam cadit; lumen huic

Ratio & Virtus præferat.

Dæmon est Innocentię infestus.

*Induite vos armaturam Dei, ut possitis pugnare ad
versus infidias diaboli. Ephes. 6.*

Gloriam Innocentibus promissam invi-
det dæmon, ideo conatus suos eò con-
vertit omnes, ut eum thesaurum, quem ha-
bent optimum, quoque certissimam sibi ad
cœlum viam sternunt, illis eripiat, integri-
tatem commaculet. Circuit, quærens quem
devoret.

Nec contentus pessimus hic Innocentię
hostis, eam per seipsum, pravasque sugge-
stiones tam die, quam nocte opportune im-
portunè infestare; etiam naturales hominis
inclinationes, carnem propriam, & sensus in
peccati hujus suæ intentionis fœdus
incitat, ut eam unitis viribus expugnet.

Non fatigatur unquam, nullum laborema
renuit, nullum non accommodum est illi
tempus, nec lassatur temptationibus, nec vi-
giliis extenuatur. Quos vigiles desperat
vincere, nocturnas iis fructus infidias, vel
primo manè, sub ipsius diei & rationis cre-
pusculum semisopitos aggreditur.

Astutus & mille fraudum artifex est; quis
cum eo in arenam descendere sibi fidat? For-
tis est: quis viribus suis non diffidat? innu-
meris dives spoliis, & plurimis etiam con-
tra aliquin sanctos relatim victoriis tumi-

dus: quis non animo cadat? Macte animis
Parthenophile! imbellis dæmon est, nihil
nocere poterit, nisi volenti.

In promptu tibi contra eum arma sunt.
S. Stanislaus in forma canis rabidi ferocien-
tem signo crucis abegit. *S. Ignatius* in specie
igniti serpentis mordere parantem bacillo
fugavit. *Orate, docet Christus, ut non in-
tretis in temptationem,* quid facilius? *resistite
diabolo, & fugiet a vobis.* Jac. 4. Quid ma-
gis in nostra potestate? denum ut facilli-
mum, ita longè securissimum contra dæ-
monis insultus scutum est: contemne; quasi
nec oculo, nec alloquio eum dignareris:
sperne; & hujus contemptus impatiens post-
hac emanebit.

Impudentis ille mulierculæ morem ha-
bet, nihil hac insolentius, ubi se timeri ob-
servat, gigas in pusillanimes; at ubi se in
Virum impegiisse advertit, cui animus ad
præliandum non desit, hic enim verò ani-
mo concidit, ponit iras, conatum sub-
mittit.

Nec tamen ita contemnendum suadeo,
quasi liceat eum ultro in certamen vocare,
& ut dicitur, quasi dormientem excitare.
Nullæ quippe tentationes plus post se tra-
hunt periculi, quam quas nos ipsi queri-
mus, quibus nos ultro ingerimus.

Si impudens & inverecundus etiam rejetus, te infestare perget; jaculatorias ad Deum, ad B. V. preces expedi; aliò cogitationes converte; novos homines adi; labores assume; & illico hostem exarmasti.

Ut muscæ ferventi aquæ non insident, tempidâ delectantur; ita quos in Dei amore, & Innocentiae conservandæ Zelo ferventes animæ advertit dæmon, aggredi non facile audet; vel quòd ab illis vapulare metuat, vel quòd confundi superbissimus ille genius erubescat.

Recordatur magnanimitatis, quâ suos conatus plurimi elusere, idque contemptim contibus ejus insultantes; ideo cavet, quos videt in suæ integritatis tutelam semper vigilis, semper in armis.

Sume animos Parthenophile! *Præpara animam tuam ad temptationem;* sed memento, non patietur te Dominus tentari super id, quod possis vincere. Nemo te coget ad assensum. Si vis, & efficaciter vis, jam dæmon victus, Innocentia viatrix est.

Præsumptio est Innocentiae ruina.

Si Dominus ego sum, ubi est timer meus?
Malach. 1.

Quantò rem aliquam pluris facimus, tanto magis sollicitâ curâ eam à ruina & interitu custodimus. Aurum, gemmas cibis

ris ferreis , plurib[us]que seris munimus , ne rapax fortè manus iis nos destituat . Non satis perspectum habet Innocentiæ suæ pretium , qui eam periculis objicere non forinidat .

Adeò pretiosa est Innocentia , ut hæc sola sit , quæ in Dei & Angelorum conspectu pretium mereatur , sed ut pretiosa , ita & fragilis est , nec vitrum ullum delicatius , nec flos est tenerior ; & hic vitiatur , & illud rumpitur facillimè , longè tamen utroque proniùs Innocentia , quæ solo etiam visu , tactu unico , quin & unâ cogitatione corrumpitur , aut etiam annihilatur .

Deprædari desiderat , qui thesaurum publicè portat . Quæ pretiosa sunt , multos habent insidiatores ; fortè ideo uniones mari , aurum terræ visceribus , arduis montibus gemmas natura recondit ; & quid hæc sunt ad comparationem Innocentiæ ? Ideo nec pauciores numerat adversarios . Utinam quot solam spinæ , tot eam arma tueantur !

Latrones , Latrones ! exclamabat olim S. Franciscus , eos indigitans , qui Dei gratiam , rem nempe in orbe pretiosissimam , homini eripere conantur . Cautè ambulandum ; infesti hi latrones sunt Innocentiæ . Vacuæ navi pyratæ non insidiantur , sed opulentæ ; quantò anima meritis ditiōr , taotò eam plura circumstant pericula .

Nec in vitæ Innocentia hactenus conser-
vata

Vata præsidendum: momentum, occasio, una curiositas, actus unicus, ictus oculi sufficit, ut Dei gratiam perdas. Innocentiam tamdiu illibatè custoditam amittas. Scilicet etiam qui sæpius viatores evaserunt in bello, tandem casu infelici succumbunt.

Nec desunt, quæ nos meritò terreant exempla, si meminisse velimus; non defuisse, qui ad mortis usque confinia Innocentiam tuiti, tristissimo planè infortunio, eam in agone perdidenterunt. Possunt nempe etiam in portu naves subire naufragium.

Si gravioris hastenus expers criminis vixisti, tibi non adscribe; Dei hoc opus & beneficium est. Non enim est peccatum, adeò fœdum ac atrox, quod ullus aliquando commisit homo, cuius tu reus esse non poteras, nisi Omnipotentis dextera te ab hac rui- na præservâisset. Adora Dominum, à quo habes, quidquid habes. Ama Deum, sine cuius Numine, nihil est in homine.

Habemus thesaurum opimum, sed in va-
lis fragilibus. Èò divinæ bonitatis consiliò,
ut, quia in ejus conservatione plus laboris &
vigiliarum impendendum erat, plus etiam
præmii & mercedis à bonorum omniaum
Remuneratore accipere possimus. Hic
præter cœlum, communem Justorum om-
nium dotem, speciali Deus innocentes lau-
solâ coronabit.

Quid.

Quidquid in conservatione Innocentiae laboris impenditur, optimè collocatum crede. Cura omnis & sollicitudo *eternum* tibi *gloria pondus*, sempiternamque lætitiam promerebitur.

In timore *proinde* & tremore mi Parthenophile! custodi Innocentiam tuam, cave eam periculis inferre, cave temptationibus ansam dare, aut diabolo auscultare. Nullum te fragiliorem puta. Tibi totus diffide, in Deo te posse omnia confide. Sic præsumptionem & desperationem inter in medio tutissimus ibis, non deflectens neque ad dextram, neque ad sinistram.

Oculi sunt Innocentia proditores.
Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit. Luc. 11.

Maximum Dei & naturæ beneficium sunt oculi, sine quibus infelices perpetuis quasi sepulti tenebris dubios debemus passus quererere, ac alienæ opis indigere cum Tobia cap. 5. quereremur: Quale gaudium mibi esse potest, qui in tenebris se deo, *¶* lumen cœli non video? tanto tamen Dei beneficio quam turpiter persæpe abutimur, dum qui nobis dati sunt ad evitanda corporis pericula duces, nos ad innumerata anima; damna turpiter convertimus.

Quot suat, qui cum veritate dicere possent:

sent: *Ut vidi, perii, sic me malus abstulit error?* quot non deberent veritatem palam eloqui: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Thren. 3. Dum pretiosissimam, quam orbis habet, gemmam, id est, Innocentiam sustulit.

Oculi sunt in amore aves, proditores innocentiae, sunt portæ, per quas irruunt in animam pericula; mors has intrat per fenestras; dum enim species minùs honestas impunè admittunt, vel ultro venantur, has ad animum demittunt, illæ hunc emolliunt, inficiunt, & omnes in eo virtutis nervos elidunt.

Quò major est vultus gratia, tantò est potentius temptationum irritamentum; est hamus, quo captivantur affectus, est magnes, quo dura etiam corda trahuntur. *Averte, averte oculos tuos, ne videant hanc vanitatem.*

Quid est forma illa, cuius intuitu tantopere delectaris; fragile bonum, flos caducus, quem febriculæ æstus decoquit, vel tempus rapit. Si tantum ejus aspectui afficeris, profundius inspice: quid sub colorata illa cuticula lateat, observa: quæ abdominatio? quis horror? si pellicula illa, velut larva, detrahatur, quid turpius? & huic tam in consulte inhæres? cogita ultrà, vermes & faniem, in quam forma illa, quam tu deperis, resolvetur. Vide quare delecteris? Nec

Nec vivæ tantum formæ, sed & pictæ ac inanimatæ nocere possunt; si fixo oculo temerè delibentur; ut ut enim mortuæ sint imagines, vim tamen in animos maximam exerunt, maximè illæ, quæ cum veste honestatem & frontem exuerunt, & tanto amplius nocent, quanto frequentius oculos percere possunt, & immotæ liberiūs eos admittunt. Absit, quisquis hæc legis, à domo, vel penu tua tam periculorum fœdorum cogitationum illicium, turpium ignium incentivum, flammis dignissimum, quod tam abominandas flamas accedit, & alit.

Quid hic de publicis illis & inverecundis scelerum præconibus, & tacitis omnis malitiæ præceptoribus, id est, libris non satis castigatis dicam? Venenati sunt hi fontes, tantoque plus noxii, quanto magis aperti, qui nec æstate siccantur, nec hyeme congelantur, semper malorum fœcundissimi; quos dum oculi curiosè addeunt, venenum hauriunt.

Quod si mihi dicas, ait incautis horum librorum lectoribus Augustinus: hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia; respondeo: non omnino per hanc turpitudinem verba ista economidius discuntur, sed per bac verba turpitudine ista confidentius perpetrandur.

Si contineretur nectar in calice , in quo
grandis esset araneus , horreres calicem vel
tangere , taceo ut nectare illo sitim extin-
guere optares : cur elequentiam libri non
horres , in qua impudicitiae vides esse vene-
num.

Procul à te sit scientia , mi Parthenophi-
le ! quæ officit.

Colloquia prava Innocentia ruptela.

Corrumperunt mores bonos colloquia prava.

I. Cor. 15.

Ut ex cantu avis noscitur , sic ex ore ,
qualis quisque fit , facile colligitur , ex
abundantia enim cordis os loquitur. Matth. 12.
Quod quis amat , de eo frequentius loquitur.
Ut vas balsamo refertum suavem , sordibus
verò plenum , graveolentem expirat odo-
rem , sic ex colloquio sancto vel pravo facile
discernes , cuius tibi grata vel exosa esse de-
beat converatio.

Poñ mortem S. Guthlaei tanta ex ejus ore
suavitas erupit , ut effusi odor balsami crede-
retur . S. Antonii Patavini lingua , reliquo
corpo in cineres resoluto , mansit incor-
rupta . Sunt , è quorum jam tumulatorm
ore lilia progerminarunt . Præmium nempe
casti sermonis , utpote , qui dum viverent ,
nihil sordidum , & illorum , sed flores me-
ros & lilia loquebantur .

Omnis

*Omnis sermo malus ex ore vestro non probet
dat.* Eph. 4. 29. Bis ad limam veniat ser-
mo , priusquam semel ad linguam. *Ex ver-
bis namque tuis justificaberis , ex verbis tuis
condemnaberis.* Matth. 12.

Pudici , etiam dum de pudicitia loquen-
dum illis est , erubescunt ; circumscribere
malunt , quām apertē nominare virtutem ,
cujus nuncupatione opposita turpitudinis
recordatio posset in se , vel aliis renovari ,
vicissim quām parūm ore venenum ver-
sant , ita fugiunt nominare , quidquid obsce-
nitatem olet , sancte solliciti , ne turpita-
dinis pronunciatione lingua fordes con-
trahat.

Apostoli monitum est : *Fornicatio & im-
munditia , nec nominetur in vobis.* Eph. 5.
Quæ ut proferre non decet , ita nec andire
convenit. Pronum namque est , ut agatus
facilè , quod libenter auditur ; jacitur ver-
bum in aures , non secus ac semem in ter-
ram , inde ad cor descendit , ibique radices
agit ; & hinc tam pestifera morum lolia ,
herbæque pestiferæ dietim repululant.

Ut ignis modica latitans in scintilla , vel
cinere sepultus flabello animatur ad incen-
dia , qui sine noxa quievisset ; ita concipi-
scentia , quæ latet in corpore , innoxia & in-
fcia mali langueret , nisi turpis ac inhonestæ
linguae flabellō ad vitia provocaretur.

Ubi sunt nunc *Bernardini*, qui ad omne verbum honestati oppositum, quasi alapâ isti erubuerunt; Ubi *Aloysii*, qui posthabitâ majorum & seniorum authoritate ad vocem minus pudicam, velut dato signo se illico proripuerunt, quasi alia ad negotia evocati? Ubi *Stanislai*, qui ad sermonis obscenitatem deliquium passi sunt? Hoc erat innocentiam amare, custodire puritatem, quæ, velut nitidissimum speculum, solo etiam oris halitu infici potest.

Sunt elingues & muti diaboli, ut observat S. Bernardus, sed etiam sunt facundi, & loquaces; hos inter dux & signifer lascivus dæmon est; cuius officium est colloquia verborum spurciis aspergere, inverecundos sales, cantus non satis castigatos, diverbia obscena, jocos fescenninos, velut totidem sagittas pura corda læturas miscere.

Vae illis, per quos tale scandalum venit! Vae illis è quorum ore tam fœda fanies fluit. Sepulchrum patens est guttur eorum. Psal. 13. Nihil inde nisi spurciæ, corruptio, & fœtor abominabilis prodit.

Nec lætitiam hic, aut jocum prætende; joci enim tales, joci non sunt, sunt blasphemiae, sunt materia lachrymarum, sunt ignis æternorum incentiva: nisi tu jocum putas, & te commaculare sceleres, & pari auctoritatem inficeres.

Nee

Nec animum excusa, quasi male hæc dicta non sint: quâcunque enim intentione dicta sint, nocent; Deum offendunt; proximum scandalizant; violant Innocentiam.

Innocenti vivendum, ut pauci.
Multi vocati, pauci electi. Matth. 30.

Nihil aliud expectandum, quam ut vel scopolis illisa pereat, vel fluctibus hau- sta mergatur navis illa, quæ nec stellæ polari ductum sequitur, nec remorum aut na- varchi directionem attendit, sed torrente se abripi, ad venti cujusque arbitrium im- pelli se patitur. Ita plane periculo proxi- ma est anima, etiam innocua, quæ popula- rem auram, vulgique opinionem secuta, vivit, ut passim vivitur; agit, quod plerique.

Nihil omnino agimus, qui nos per multum studinis exempla defendimus. S. Hier. Qui bene, qui innocenter vult vivere, non pu- tet multorum sibi mores esse imitandos; Bo- ni enim sunt pauci, mali plurimi. Lolia sponte suâ, facile, passim, ubique nascun- tur; flores & lilia cultoram expectant. Quidquid à majori hominum parte fieri vi- des Parthinophyle! ei plerumque contrari- um tibi faciendum esse crede, vel in re, vel in modo. Qui se virtutis discipulos fate- tur, turbam sequi non debent.

Duas nobis vias , & distincta in diversum itinera Salvator ostendit ; quām spatioſa , inquiens , via , quæ ducit ad interitum , & multisunt , qui intrant per illam ; angusta alia , quæ ducit ad vitam , & pauci sunt , qui eunt per illam . Vide quanta has inter vias disparitas sit , quantumque discrimin ! illa ad mortem , hæc tendit ad vitam ; illa celebratur & teritur à multis , hac invenitur à paucis . S. Hier . Vide , quos tu sequaris .

Omnē quod agimus , vel loquimur , aut de lata , aut de angusta porta est ; si paucis nos conformamus , angustum iter & subtilem quandam semitam terimus , ad vitam tendimus ; si verò multorum comitamur mores & viam , secundū Domini sententiam , imus ad mortem . S. Hier .

Circumfer paulisper oculos , & videbis , quia totus mundus in maligno positus est , & omnis caro corrupti viam suam . Gen. 6. omnes , quæ sua sunt , querunt , non quæ IESU Christi . Phil. 2. Non est , qui faciat bonum , non est usque ad unum . Vide , quò te seducat multitudo , si hanc temerè sequaris .

Quæ pretiosa sunt , multa non sunt ; copia rebus pretium demit , auget raritas . Recense , si lubet , quot ex referta hominum multitudine Pentapolii vivente justæ & innocentes animæ sint repertæ ? in numerum

cōge, quot ex universo hominum genere cataclismus ab interitu immunes servavit & facile concludes, si animam tuam immūnem voles à vitiis, non obvia communitatis festanda esse vestigia, sed securiorem paucorum, de salute ac vitæ integritate magis sollicitorum terendam esse semitam.

Si te à vulgari hominum vivendi ratione sejunxeris, familiaritatem cum multis ini-re nolueris, & publicæ hominum societati, ac congressui te non associaveris, gaudebis, ridebis fortè minùs, sed & minùs deinde dôlebis, imò sinceriùs longè constantiùsque gaudebis.

Exempla proinde, secundūm quæ vitam dirigas, pauci sint, imò unus sit Christus, qui te invitat: *Sinite parvulos, hi innocentes sunt, venire ad me.* Semper ei chara extitit Innocentia. Respiciens JESUS dilexit adolescentem illum, à quo intellexerat, quòd mandata omnia à Juventute sua semper servaverit. Vide quos diligit?

Semper Deus habuit & habet suos sibi magis dilectos, sed paucos. Amicum ha-be Parthenophile! cum quo eas, tua agites consilia, cuius exemplo proficias, recre-eris alloquiō, sed priusquam deligas, eum tibi perspecta morum commendet integri-tas. Tales cùm pauci sint, multis te non præbebis amicum. Veluti, ubi magnæ arkes,

urbes , ibi magnæ fordes , ita ubi multitudo , ibi confusio , ibi agendi libertas , & virtutis exilium est.

Innocenti Mali principiis obstandum.

A scintilla una augetur ignis. Eccl. 11.

IN hoc omnis sanctæ diligentia ac sollicitudinis cardo vertitur, ut Innocentiae suæ Zelator Principiis obstat ; ubi primùm vel umbra peccati , maximè periculosi & lubrici se se insinuaverit ; illico , absque ulteriori deliberatione , aut mora, horreat, repugnet, fugiat. Diabolus serpens est, cujus capiti, hoc est, primæ suggestioni , si non statim resistatur , sensim fine sensu , in penetrale cordis furtim illabitur , & irrepit.

Quis viperam sinufoveat ? quin , si possit, statim aut suffocet , aut excutiat ? quis flammarum tecto suo imminere advertens , non eam illico affusâ aquâ restinguere laboret , quod si oscitanter agere negligat , quid mirum , si brevi flamma tectum omne depopuletur. Nec celeritate , nec pernicie minori fæviet ignis concupiscentiæ, nisi prima statim in scintilla sopiatur.

Juventus est velut sœnum aridum , imò pulveris instar pyrii , statim ignem concipit ; arcenda etiam minima quævis scintilla est ; calet in ea sanguis , & omni cacabo vehementius bullit ; removenda maturè est à

flamnis; ardet hæc ætas, & velut æthna
perpetes intra præcordia calores foveat, cave
ignibus ignes addere, ne usque ad Innocen-
tiæ ruinam & internectionem exardescant.

*Dum parvus est hostis, interfice; ne zizania
crescant, elidantur in semine, suadet S. Hier.
Si negligis, miraberis aliquando granum si-
napis, quod minimum erat in omnibus ole-
ribus, celeriter excrevisse, jamque evasisse
in arborem pestilentibus planè fructibus sœ-
cundam, nec facile eradicabilem.*

Ad primum blandi hujus hostis conspe-
ctum est ad arma convolandum; si vel pe-
dem semel figat in limine, ægrius ejicietur,
qui levi manu, nec difficiili conatu rejectus
fuisset. Diabolo si vel digitum sponte con-
cedas, integrum manum arripiet, ac ut ob-
servavit S. Franciscus, si vel pilum babere pos-
sit ex homine, brevi excrescere faciet in ruden-
tem. Grandis illa quercus, quæ missis pro-
fundè in terram radicibus ita firma, & con-
tra omnes ventorum impetus immota confi-
xit, virgula fuit, quæ vel digito evelli po-
tuisset in principio. Celerius crescunt vitia,
& initio neglecta robur accipiunt.

Facilius est Innocentiam conservare,
quam reparare; uti facilius est fanitati, dum
adhuc integra est conservandæ consulere,
quam fractam & labefactatam pristino vigo-
ri restituere.

Cura sanè ibi maxima sit, necesse est, ubi nihil est parvum, quod est voluntarium. Ut enim in pinnaculo templi, aut loco præcipiti consistens funambulo, si vel passu erraverit, jam ruit, jam perit; par lubrica materia tibi minatur periculum; actus hic omnis contra Dei legem exercitus, immo & consensus lethalis est, non datur parvitas materiæ in reverencia.

Sicut in bello, sic & in tutela Innocentie se mel tantum peccatur; si unum miles istum non declinet, perditus est; Innocentia si primum non vitet peccatum, amissa est.

Nihil tibi reputandum est patrum, ubi magnus Deus offenditur, maximus thesaurus Innocentie prodigitur, longissima æternitas periclitatur. Nikil sanè censi debet grandius, quam quod ducit ad maximum malum.

Vides Parthenophile! quam à te curam requirat innocentia tua, Principiis obfta, serò medicina paratur; serò & frustra deinde gemes: O mihi præteritos referat si Jupiter annos! nunc sape, & prima peccati principia cave.

Sinceritas erga Confessarium est Innocentie præsidium.

Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantes se. Eccl. 4. 10.

Quantò frequentior cum Viris verè spirituibus, & animæ tuæ bonum zelantibus fueris, tantò ab Innocentiaæ amittendæ periculis remotior eris, tum quòd ille te, contra omnes mundi, carnis, & diaboli insidias, monitis salutaribus tuebuntur; tum quòd perversi te fugient, & odio prosequentur; tantùm abest, ut seducere sint ausuri; timebunt potius, ne à te prodantur.

Nemo sibi satìs prudens, nullus in propria causa bonus est judex, minimè tamen adolescentis; qui nec intellectu satis instruitus, nec ullâ eruditus experientiâ facile in errores eos inducitur. qui ægrè deinde possint emendari.

Si autem à Viro spirituali dirigi velis, sincerum te erga illum esse oportet, ut sis coram eo velut aqua limpida; nihil vel in fundo tui cordis lateat, quod illi non æquè patet, ac minimus quisque lapillus in limpido & perspicuo fluviolo. Tam illi notus esse desidera, quam tu tibi ipsi es.

Fili sine consilio nihil facias, & post factum non paenitebit. Eccl. 32. In omnibus dubiis tuis ad illum recurre; pete ab eo non solum dirigi, sed si quid vel ipse in te observaverit, vel ab aliis de te intellexerit, etiam corrigi.

EIAM extra Confessionem sèpius cum illo age, statum tuum eidem aperi, & ne materia

teria tibi desit, eorum, de quibus cum eo loqui possis, catalogum subnecto.

Ratio Conscientiæ pro Juvenibus.

1. **Q**uomodo se habeat in tutela suæ Innocentiæ?
2. Quæ ad eam servandam media, quas devotiones exercere soleat?
3. An tentationes contra eam externas, vel internas habeat?
4. Quomodo in temptationibus se gerat?
5. Quæ media ad has prævertendas adhibeat?
6. Num aliqua pericula Innocentiæ passus?
7. Quas preces quotidie, quas festis diebus peragat?
8. Quem modum in orando vocaliter tenet?
9. Num orationi mentali & considerationi aliquod tempus tribuat?
10. Quibus precibus jaculatoriis, quoties in diei uti soleat?
11. Quæ materia sit Examinis particularis?
12. Quem librum spiritualem legat?
13. Quomodo Examen Conscientiæ quotidie, & ante Confessionem facere soleat?
14. Quoties soleat communicare?
15. An in Communione devotionem experiatur?
16. An Communione spiritualem faciat?
17. Ad quæ peccata se priorem experiat?

18. Quas mortificationes internas & externas exerceat?
19. Quæ bona opera, misericordiæ spirituæ lis vel corporalis oheat?
20. Quomodo suum affectum erga B. V. testetur?
21. Quos Patronos elegerit, quomodo eos colat?
22. An aliquam animi afflictionem patiatur?
23. An nullum in rebus conscientiæ dubium habeat?
24. Cum quibus Sociis frequentius agat?
25. Quomodo cum Moderatoribus suis conveniat?
26. Quomodo, & quo fructu studiis se impendat?
27. Quas distractiones diebus recreationum habeat?
28. An sentiat aliquando impulsus internos, & desideria ad vitam perfectiorem?
29. An de statu vitae eligendo aliquando cogitet, vel Deum pro illuminatione oret?

Mortificatio est tutela Innocentia.
Qui delicate à pueritia nutrit servum suum, postea eum sentiet contumacem. Prov. 29,

Utrum vitis non putata in palmites inutiles luxuriat, & terra nullo vomere scissa, lolia & urticas germinat, ita natura humana nisi mortificatione identidem excitetur

ad

ad supernaturalia , facile terrenis adhærescit,
& in peccatis concepta , prouum est , ut ad
peccata delabatur.

Quia verò adolescentes , quibus hæc po-
tissimum suggero , graviora mortificatio-
num , & asperitatum genera fortè non ferent ,
talium hic syllabum subjicio , quæ simè vale-
tudinis dispendio fieri poterunt .

Catalogus Mortificationum Obviarum.

1. **C**onstituto tempore generosè se lecto expedire.
2. Non nisi decenter ex toto vestitum coram aliis comparere.
3. Ante alias actiones constanter preces matutinas absolvere.
4. Tempus studiis præfixum diligenter impendere.
5. In plateis non cursitare , nec lapillos jacere , aut pedibus promovere.
6. Dum in platea piam Christi , aut Deip. imaginem transit , deposito pileo vene- nari.
7. Ante Scholarum ingressum adire tem- plum.
8. Transeundo cœmeterium , vel intrando Ecclesiam , defunctorum meminisse.
9. Graviter cum omnibus agere ; nullum vellicare , trudere , trahere , nec jocō tan- gere.

10. In templo , & alibi , compositis ante pectus manibus orare.
11. Huius sine scabello , aut reclinatorio flectere.
12. In templo non sedere , nec se rusticè appodiare.
13. Totum sacro **Cantato** , **Concionari** , Vesperis , uti & Congregationi destinatum tempus , in eodem loco absolvere.
14. In templo ad strepitum , qui fortè cietur , vel ad campanulæ iactum non respicere.
15. Manus non servare reconditas intra vestem.
16. Ab uno tempore mensæ ad aliud nihil sumere.
17. Die Veneris , aut Sabbathi Vespere vel vino , vel calido cibo abstinere.
18. A fructibus , maximè horum primitiis , vel bolis gratiорibus gustum fraudare.
19. Cilicum per aliquod tempus gestare.
20. Aliquot iactus flagello sibi infligere.
21. Aliquo tempore afferculo in lecto incumhere.
22. Ante lectum nudis genibus , vel expansis manibus orare.
23. In satisfactionem defecuum terram privatim osculari , aut linguâ crucem in terra efformare.
24. Non prospicere otiosè per fenestras.

25. Non crispare , vel tingere capillos.
26. Alterius sexūs personas non intueri.
27. Profanæ Comœdiæ , aut Stentorum declamationi non interesse.
28. Interrumpere conversationem , quam advertis non esse satis honestam.
29. A verbis , aut jocis etiam physicè sordidis abstinere.
30. Non effundi in cachinnos sonoros.
31. Omnem lusum , qui aliquid inconvenientiæ redoleat , maximè in quibus tactus intercedit , cavere.
32. Pro pecunia omnino non ludere.
33. Dicta , quo æmulum confundere posses , abstinere.
34. Te de tuis rebus non jactare , nec ea , quæ in tui laudem vergere possunt , proferre.
35. Nunquam in rixas , oblocutiones effundi.

Conversatio cauta Custos Innocentiae.

Fili mi , si te laetaverint peccatores , ne acquiescas eis ; nec ambules cum eis. Prov. i.

OQuàm multi mansissent boni , sùamque innocentiam usque ad ultimam ætatem perduxissent , nisi pravis malorum exemplis & conversatione pessimâ seduicti ad ea pervenissent , quæ sine his improbitatis

tis magistris nunquam scivissent, taceo fecissent. *Horrendum penitus sacrilegium*, ait Bernardus, *quod ♂ iporum videtur exceedere facinus*, qui *Domino Majestatis manus sacrilegas injecterant*. Hi sunt Herodes impii, qui non corpore, sed animâ tot necant innocentes, quot verbo, aut pravo exemplo seducunt.

Quàm lamentabilis hæc ruina est, quàm exosa Deo, invisa Deiparæ, Angelis detestanda! animam è statu Innocentiæ, è Dei ac Mariæ filiatione, ex Angelorum consortio, è cœli jure ad fœditates, & porcorum filius, & mancipatum diaboli seducere. Nullus efficaciùs persuadet, quàm qui vitia docet exemplo. *Verumtamen vœ homini illi, per quem venit scandalum!* Matth. 18. Nec enim sibi soli errat, sed alienæ pariter author est ruinæ; quasi non grande solis fore malum, soli perire.

Cautelâ opus est, eâque maximâ, ne alienis pereamus exemplis. Optabiliùs est majorum habere odium, quàm consortium, à malis amari pessimum. Exiccantur, vigorem virorémque amittunt arbores, quas hirci & capræ allambunt; trahuntur siquidem ex conversatione mores, & pravitas nobis etiam nolentibus affricatur.

Huc facit Paterna S. Bernardi admonitio: *O candens lilyum! O tener ♂ delicate flos!*
sub-

subversores eunt tecum; in aëre sunt, in cærone tua sunt; sicut lilyum inter spinas, sic animata tua; spina est vicinus malus. Versari in his, & minimè lædi divinæ potius potentiae est, quam Virtutis tue; ora Deum: Sed libera nos à malo. Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit illam.

Homo quidem naturâ suâ est animal sociale; perpetuāmque sectari solitudinem feris magis, quam hominibus convenit; cum quibus tamen tutò agendum tibi sit, in cuius te familiaritatē immittere securè possis, cautè dispiciendum; mille probandi, donec vel unus approbetur. Vadum non intrat equus, nisi pède priùs, quam profundum sit, exploraverit. Difficile est homines nōesse, profundi sunt, s̄epe scyllas & charybdes reconditas sovent, qui placidâ te fronte invitant. Fide, sed cui? vide.

Si pius videris & modestum, qui scholam, aut Congregationem omittere piaculo sibi ducat; qui Sacra menta quot hebdomadis frequenter; se literis diligenter, & præ primis impendat; qui se nullis consuetate pietatis exercitiis subducat; frequens cum suis Moderatoribus agat; jocos & levitates oderit; hujus te conversationi credere poteris, sed usque ad aras; si his alienum quid ab eo videris, fuge.

Cincinnatos autem, & calamistratos ; & peregrini muris olentes, quasi quasdam pestes, & venenum pudicitia timeri, vult S. Hieronymus, qui toti sunt vel lusui vel jocis immersi ; vino dediti ; vagi & garruli in Ecclesia ; negligentes in studiis ; lucifugæ ; Moderatorum osores. Hic niger est, bunc tu dilecte caveto.

Quia vero juventus non adeò firma est iudicio, ut hac in re sibi satis consulere possit, vestrâ hic & præceptores, & præfecti ! opus est vigilantiâ, ut oviculæ fidei vestræ concreditæ Argi instar centoculi attendatis, ne in lupos, vel hircos incidat.

Utilis Occupatio Refugium Innocentiae.

Ama studia literarum, & carnis vitia non amabis. S. Hier.

Mens, quæ honestis occupatur curis, & utilibus distinetur cogitationibus, nullum temptationi tempus relinquit, sicque absque alio labore & conatu innocens manet ; imò eò felicitatis pervenit, ut vel nullas, vel levissimas, rarissimásque patiatur tentationes.

Occupationes hæ sunt statui, quem quisque profitetur, accommodandæ, sunt prudentiorum consilio digerendæ. Non agendum ex impetu, non vivendum incerto ri-

tu.

¶. Quia hæc literarum Studiosis scribo, iisdem consulturus, diei partitionem exhibeo, in qua sua cuīque horæ occupatio designatur.

Diarium Studiosi.

Media sextâ. Surgitur è lecto. Sequitur decens vestium compositio, lotio.

Horâ sextâ. Oratio matutina peragitur flexis coram altari genibus, quâ finitâ. Studia cujusque classi, quam quis frequenter, propria.

Horâ septimâ, si verò quis in altioribus classibus est, tardius, salutato priùs in templo SS. Sacramentô, & B. Virgine, adiutur schola.

Scholæ tempus impenditur juxta Moderatoris divisionem.

Decimâ. Auditur sacrum, sub quo oratur Rosarium, Offic. Immac. Conceptionis.

Media Undecimâ. Post redditum è Schola, est eorum, quæ in Scholis scripta, vel explicata sunt, revisio; deinde studia. Memoriæ, vel disputationis, vel examinis exercitium.

Intercedit prandii, præmissis precibus, sumptio. Hanc sequitur honesta animi remissio.

Horâ primâ. Repetuntur lectiones, & recitan-

citantur ; vel à majoribus prævidetur explicatio in schoła futura, vel circulus. Sequuntur Scholæ , in quibus tempus secundum Moderatoris directionem impenditur.

Hora quartā. Potest esse mediâ circiter hora remissio à studiis.

Circa quintam. Studia classi cūjūsque accommodata, ut sunt Exercitium styli, aut memoriae. Lectio librorum , vel scriptorum, vel Examen.

Quadrante ante cœnam instituitur lectio pī libelli.

Vespertina corporis refectio , & post eam Animi remissio per utilem discursum.

Vespertinæ preces, cum Examine Conscientiæ.

Decora ad lectum compositio.

Diebus Dominicis potest Juvenibus plus de somno concedi, sed & pietati in templo plus triguendum. Iteranda Communio ; à meridie Congregatio, Vespere. Suum etiam sit studiis tempus.

Recreationis diebus admittenda moderata corporis commotio vel per deambulationem, vel per lusum. Ita tamen, ut ex consuetis pietatis operibus nihil omitatur, studiis etiam aliquid triguatur.

Conſtans hic actionum quotidianarum Ordo multas secum trahit utilitates : sic enim

enim & contra otium armatur adolescens, & actionibus seriis tractandis assuevit. Accedit, quod quotidianus hic studiorum tenor, si diligenter observetur, ingentem doctrinæ accessionem faciet; præstat enim quotidie parum discere, quam unâ vice intenso nimium labore velle proficere.

Oratio est Nutrix Innocentia.

Hoc genus Daemoniorum non ejicitur, nisi oratione. Marc. 9.

Naturam vincere non est opus naturæ, sed authoris naturæ; prona hæc est ab adolescentia sua ad lapsum, & nisi speciali Dei Conditoris sui privilegio donetur, cogitur fateri cum Paulo: *Datus est mihi stimulus carnis.* 2. Cor. 12. Ideo cum eodem ad illud potissimum recurrentum est medium, quo & ipse usus triumphavit, & nos ad idem amplectendum animavit. *Propter quod ter Dominum regavi, ut auferret a me timulum carnis.*

Desperavit sine oratione innocens mane Salomon, scio, inquietus, quod non possem esse continentem, nisi Deus det. Sap. 8. Et tu hoc destitutus præsidio tibi fides? Oravit Angelicus Thomas in tentatione constitutus: *Ne finas Domine J E S U,* & tu SS. Mater Virgo M A R I A, ut tam immanni me scelere obstringam; & tu vis esse sapientior, & alia

& alia media inquirere? Dominus ipse jubet nos sic orare: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Et tu sine oratione speres tutus esse?

Omnis quidem Virtutes donum Dei sunt, maximè tamen vitae Innocentia; nobilissima hæc cœli gemma alio venalis non stat pretio, quam oratione. Rogari vult Deus, idque tantò ferventiùs, quantò nobilius, magisque Angelicum, & super naturæ humanæ vires positum hoc donum est, quod desideramus.

Oratio pudicitiae tutamen est, & Sigillum Virginitatis. Devotio, & ad orationem frequentandam propensio, sunt bonæ ac innocentis animæ indicia. Benignus Deus est, facile in vota nostra flectitur, ea maximè, quæ ipse amat rogari.

Nec multas tamen te aggregare orationes volo, malo paucas, sed ferventes. Non enim quantum, sed ex quanto quis oret, cœlum attendit; verba non curat, sed adverbia. Brevis, sed è corde nata oratio plus apud Deum ponderis invenit, quam integrum psalterium vagâ mente recitatum.

Quid tibi orandum sit quotidie, non definia; ipse catalogum precum tam quotidianarum, quam hebdomadariarum, consulto prius animæ arbitro, tibi statue, quem vitæ ratio, tempus, & tua devotio suaserit; modo, quas elegeris, sint constantes. Ger-

Certos è Divis Innocentiæ patronos , & tutelares eligere , eósque pro thesauri hujus conservatione tenerius venerari , ac invocare consultum erit , ut quâ ipsi potissimum Virtute Deo placuerunt , ejus te quoque cultorem esse , suâ apud Deum intercessione faciant ; in horum numerum sanctus animæ tuæ Custos Angelus , S. Josephus , B. Aloysisius , & similes pro tuo arbitrio venire poterunt.

Præ primis tamen Mater Innocentiæ tuæ sit , quæ æterni Verbi Mater est MARIA , ut pote quæ inter omnes puras creaturas maximâ semper floruit Innocentiâ ; semper , etiam in sua Conceptione , sinè macula ; nullas unquam ad malum commotiunculas pafsa ; prima , quæ Deo Virginitatem voto sacravit ; cuius vel aspectus ad amorem putatis accedit ; eum in te quoque devotè venerata indubie augebit . Semper illa amat candidos , nec amari sustinet , nisi ab Innocentibus ; mille illa juvit de innocentia periclitantes , mille in ea vacillantes confirmavit . Confide , Mater tua est Parthenophile ! Si te Filium ejus , tenerâ ad eam fiduciâ , moribûsque candidis ostenderis , matrem illa se gratiæ patrocinio exhibebit .

Fuga Occasionum asylum Innocentiae.

Quasi à facie colubri fuge peccatum. Eccl. 22.

Militia est vita hominis super terram. Job.

13. Quot vitia , tot hostes habemus , qui militant contra animas nostras ; ad hæc totus infernus Innocentiae nostræ insidiatur ; tot ejusdem asseclæ sunt , quot nos circumstant seductores . Quid subsidii ? quod militibus probro ducitur , hoc tibi Parthenophile , si Innocentiae cultor es , primæ laudis & consumati elogii argumentum sit : *Fuge.*

Quod *Arsenio* quondam Aulico dictum ab Angelo : *Arseni fuge , salvaberis* , idem tibi toties repetitum crede , quoties ulla Dei per te offendendi se offert occasio : fuge , fuge dilecte mi , & salvaberis . Nec ingloria hæc tibi fuga erit . Ut enim heroi eum ignavo quodam , & obscuri nominis hoste congregredi dedecus foret ; ita cum hoc vitio , quod per antonomasiā turpitudo dicitur , diu altercari , probrosūn tibi foret .

Fuge , dum apertè ad malum alliceris ; sic *Joseph* contempto heræ suæ favore , etiam pallio relicto fugit ; *annatus non redamavit* ; *rogatus , non acquievit* ; *comprehensus aufugit* , teneri ueste potuit , animo capi non potuit . S. Ambrosius : cujus tota salus in fuga ; si stetisset , ibi cecidisset .

Fuge occasiones labendi proximas ; quas nihil fugias , nec peccatum odisti efficaciter ,

nec

nec Innocentiam fatis sincerè dilexisti. **G**a-dere vult, qui glaciei se committit; lubrica enim cùm sit, quid aliud expectare potest per illam currens, quàm ut labatur. Vult & non vult piger, qui peccatum se odiſſe dicit, & amat occasionem.

Fuge conversationem, fuge alloquium, & quantum fieri potest, fuge etiam aspe-ctum mulieris. Qui non vult viscō infici, vel carbone denigrari, hæc procul à se re-moveat, non tractet manibus. Ubi cedri libani ceciderunt, tu non fidas; sunt arbo-res, quarum vicinia, imò & umbra nocet; fuge has corpore, fuge oculo, fuge cogita-tione. Procul à Jove, procul à fulmine; quantò à mulieribus remotièr seu conver-satione, seu affectu, tanto tutior vives ab In-no-centiæ periculis.

Fuge malos, turpiloquos; *venenum aspi-dum & insanabile sub labiis eorum.* Psalm. 13. Præstat fugere, quàm morsum expe-ctare; prævenire præstat, quàm ut serò cog-a-ris vulnus sanare. Quæ ex verbo nascitur voluptas, citò quidem avolat, sed vulnus, quod post se relinquit, non avolat; hæret telum animo tacitè infixum, & interitum urget adolescentiæ. Parthorum more pu-gnat dæmon, igneas mittit sagittas, quæ ubi in tecta incidesint, accendunt, & com-burunt,

Fuge

Fuge publicum , spectacula ludicra , convivia , societas , comoedias profanas , circumforaneos medicastros devita , *Noli circumspicere in vicis Civitatis , ne oberraveris in plateis illius.* Prov. 15. Sæpa otiosa per fenestras curiositas temptationibus viam aperuit , & animæ mors per easdem ingressa est fenestras . Gyrovagi , circumcelliones raro diu manent boni . Aloysius non nisi ad tempulum , & Scholas novit viam .

Fuge etiam te ipsum , nimurum inimici hominis domestici ejus . Tertulliani sensu : *Vera , & tota , & pura Virginitas nihil magis timet , quam semetipsam .* Quid juvat alia cavere pericula , si tu ipse tibi non tantum periculum , sed & materia , & occasio sis peccandi . Frustra vicina cavemus incendia , ubi ardent impunè domestica . Oculus , tarsus , facile sensum exitant , qui quasi virus pestilentiae per totum corpus effunditur . Fuge hæc , & salvaberis .

Lectio pia est alimentum Innocentie .
Ducam eam ad solitudinem & loquar ei ad cor .
Oſ. 2.

Dum oramus , nos Deo loquimur ; ille verò nobis loquitur , cùm pios libros lectitamus ; quæ locutio Dei ad cor hominis utique necessaria est , ut naturales inclinationes , quæ à Deo , à Cœlo nos abducunt ,

vin.

*Vincamus. Loquere Domine, quia audit ser-
vus tuus.* Locutio hæc nullibi auditur me-
lius, quam in angello, ex libello.

Libri pii sunt taciti ianocentis vitæ magi-
stri; qui sine respectu & acceptione perso-
narum veritatem loquantur; quid agendum,
quidve omittendum sit, docent; ostendunt
pericula, suggerunt media; intellectum
æternis imbuunt veritatibus, affectum in-
flammant ad bonum amplectendum, fugien-
dum malum; à terrenis cor ad cœlestia trans-
ferunt.

Libri pii, juxta S. Gregorium, *sunt specu-
lum morum*, ex quo velut incorrupto judice
actiones nostras ad æqui bonique regulam
exactè componere possimus. Si speculum
hoc inspiciamus sæpius, primas, minimas-
que maculas statim observabimus, & sic ni-
torem conscientiæ illibatum facilè conser-
vabimus.

Libri pii oratione vocali longè sunt utilio-
res, & ad conservandam morum integrita-
tem multò efficaciores. Oratio siquidem,
quæ voce peragitur, variis obnoxia est di-
fractionibus, lectio verò mentem servat re-
collectam, & licet oratio fervens esse possit,
hac tamen finitâ pari passu fervor cessat; si
autem lectio debita cum attentione peraga-
tur, ex ea fructus remanet, dum ex confide-
tatione æternarum veritatum radix quodam-
modo

modo in corde concipitur , ex qua secuturo etiam tempore optima germinant proposita , vivit Spiritus , & alimentatur Innocentia .

Libri pii legendi sunt tanquam D E I verba , de quibus . Joan . 6 . Verba , qua locutus sum vobis , spiritus , & vita sunt . Legendi sunt tanquam epistola de cœlo missa , ex qua D E I voluntatem intelligere , & disce-re possis , quò aspirare , quā semitā eò secu-rè pervenire possis , ne incidas in latrones , qui te pretiosissimo animæ tuæ thesauro In-nocentiâ spolient .

Libri pii lectio , ut proficua sit , pensicu-lata esse debet , id est , sicut aves dum bi-bunt , haustâ in rostrum aquâ , caput in al-tum levant , sicque guttam demittunt ; ita nos , monente mellifluo Spiritûs Magistro Bernardo , documento quopiam è libri pii lectione hausto cogitationes nostras ad Deum , ad cœlum levare , deinde reflexio-nem aliquam ad nos ipsos facere debemus , ex documenti nempe lecti agnitione propo-situm aliquod ; sic id , quod legimus , in no-stram utilitatem convertemus .

Libros pios de properare , est tempus per-dere . Ut cibi non bene masticati & digesti grayant potius stomachum , quam refici-ant , ita multa , & cursim evoluta lectio fa-tigat oculos , tempus rapit , mentem non re-ficit , affectum non inflamat .

Ut, non qui multūm comedit, sed qui utilia, & moderatē sumit, ille pinguescit; sic non ille cerasendus est magis pius, qui multos volvit libros. Ex uno multa legi possunt, plura considerari, si non tam oculis, quam animo lectio peragatur.

Libri pii legantur, non ut pascatur curiositate intellectus, & curiositas novitate, sed ut voluntas accendatur ad Dei, virtutum, maximē tamen innocentiae constanter servandae amorem. Lege, non ut doctior, sed ut melior fias.

Timor & Amor DEI Sigillum Innocentiae.

Timete Dominum, & servite ei corde perfecto.
Jof. 24.

Nitium Sapientiae Timor Domini. Eccl. 1.
Hic est salutis fundamentum; Gustos fidelis Innocentiae; arx, & tutamen Virtutis; est prima Dei gratia, sine qua prima non stat Innocentia; quantò hanc magis æstimas, tantò magis radicatus in te debet esse Timor Dei; non secus ac ille, qui thesaurum possidet, ne hic furto, igne, aut alio casu pereat, semper est pavidus.

Nec hominem timeat innocens, nec eorum vereatur potentiam, qui occidunt corpus; sed nec elementorum intemperie commoveatur; sed eum solum, semper, & ubique

que timeat, qui postquam occiderit, mittere potest in gehennam.

Timendus est Deus, quia magnus est Dominus, Dominus majestatis, & Dominus dominantium, nos autem factura manuum ejus; in cuius manibus sortes nostræ; qui facere ex nobis potest vas in honorem, vel in contemptum, & quis querere ex eo potest, cur sic facis?

Timendus est Deus, quia justus est; qui in Angelis suis reperit pravitatem, & eis (nobilissimi licet essent spiritus) non pepercit, sed ob unicum superbæ cogitationis peccatum, rudentibus inferni detractos è calo precipites egit in damnationem, eamque æternam.

Timendus est Deus Iudeæ vivorum, & mortuorum; scrutabitur in lucernis Jerusalem; quia licet nihil mibi per Dei gratiam concussum, in hoc tamen justificatus non sum; nam occulta quis intelligit? quis certus est de alienis sibi non imputandis?

Timendus est Deus, quia nescit homo, utrum odio, an amore dignus sit? nescit utrum praedestinatus sit? an nomen suum in Cœlo scriptum sit, ignorat, &, nisi per miraculum Deus revelet, semper ignorabit.

Timendus est Deus etiam animæ innocentia, cui de præterita Innocentia nihil presumendum, quia melior est humilis pœnitens;

gens , quām superbus innocens ; quia etiam Adam in Paradiso , & Angelus in Cœlo , quondam uterque innocens , cecidit : & tu homo fragilis in medio nationis pravæ non timeas ?

Timendus est Deus etiam innocentis ; quia quis scit , an perseverabit ? an semper gratias à Deo efficaces obtinebit ? *Currebatis bene in via mandatorum Dei , quis vos fascinavit ?* quia sæpe obscuratur , & mutatur color optimus ; quia sæpe *qui educati sunt in croceis , deinde amplexati sunt stercora.*

Timendus est Deus etiam innocentis ; quia citra revelationem Altissimi , nemo certus est de gratia Finali , sīne qua certus nobis est interitus ; quia hæc est gratia gratiis data , & non cadit sub meritum hominis , unicè pendet à Deo .

Timendus est DEUS etiam innocentis ; quia gratiâ solius DEI est id , quod est ; quia *judicia DEI abyssus multa* ; quia intra se formitem peccati , naturæ corruptelam , & abyssum habet innumerarum malarum inclinationum ; extra se tentationes plurimas , pericula mille passim obvia , contra se juratum habet hostem acerrimum .

Timendus est DEUS etiam innocentis ; quia efca diaboli electa est , de malis ministrat ; sic pyratae plus navibus pretiosâ mer-

ce plenis, quām vacuis infidiantur ; quia qui ex altiori gradu cadit, gravius periclitatur.

Timendus est Deus innocentis ; quia nulla est secura castitas, quam ille non protegit ; nulla prodest custodia, nisi ejus adsit vigilantia. Time Parthenophile ! sed ita, ut ames.

O. A. M. D. G.



CURA

CURA
HABITUATI,

Sive

PECCATI
EXTERMINIUM,

*Maxime ad quod natura magis
inclinat,*

Per

DECEM DIERUM VENERIS,

CHRISTI
CRUCIFIXI,

Dolorosæ

VIRGINIS,

SS. IGNATII, ET XAVERII

Honoribus,

*Instituendam solidam devotionem
proposita.*

ГЛАВА
И АБИДА
ПРЕД
СИМЯХ
СИМЯХ
ЧИСЛО
ОНО
ДЛЯ
УГРЫ
ПИВАХ ТЕ ПОСТАН
Но

BENEVOLO LECTORI

Animæ Salutem!

VIdens JESUS civitatem flevit super illam, prævidens: quomodo eam inimici circumdabunt vallō, deformabunt, capient, diruent. Civitas hæc anima tua est, hostis diabolus, obsidio peccatum, captivitas & ruina est peccandi consuetudo. Cui non justas elicat lachrymas, si videat, quid ubi anima casu, vel curiositate, vel (quod sæpius accidit) præsæ societate, & sequiori exemplo seducta, primum sordida voluptatis sensum admisit, & vel ex tanta malitia ignorantia, vel certè ex vñerundia confiterè vel interrogare neglexit, & ideo tam naturæ ad hæc inclinatae propensione, quam demonis tentatione degustatae semel sensualitati inhaesit, donec per frequentatos ejusmodi illecebrosos actus habitum contraxerit, séque in miserrimum planè statum egerit præcipitem. Quis quippe hæc acrè igne voracior quem semel corripuit, & corruptit, ferè immadicabiliter serpit, & ita tanaciter compeditum tenet, ut naturam quis citius, quam consuetudinem, positurus videatur. Audiunt tales criminis enormitatem, agnoscunt damna, detestantur sæditatem, premitunt, & propè jurant, ejus se potestati eruptures: quid sit? vix dies labitur, redit manus, & concupiscentia inelita blandè sollici-

tante , redditur ad scelus ; surgunt iterum , & iterum cadunt ; iterum resumunt animos , sed iterum iterumque relabuntur , jámq[ue] non quod volunt bonum , sed quod nolunt malum , hoc agunt . Infelissima sanè conditio ! Quid b[ea]t in re tam ardua remedii ? rarum sanè ; malum hoc virorum spiritualium sapè lufit operam , asceticas exhausit apothecas : Confessarii , pro sui muneric ratione arguunt , increpat , obsecrant , terrent , p[ro]nis castigant longioribus , & fors absolutionem differunt , aut etiam negant ; conatu magnō , sed utinam succēsum agis optatō . Cura frequenter adhibetur , curatio rariū obtinetur . Quid ergo ? desperandumne sit de horum sanitate , deserendine velut jam depositi ? abfit : non est abbreviata manus Domini , nec spes adempta ; hæc ipsa mali pertinacia , qua medelare tam difficilem reddit , animos mihi addidit , aptam tanto malo curam instituendi , peritiores in hac Medicos imitaturus , qui morbum inveteratum curaturi , non contenti morbum ad tempus sopire , ac extimam solum vulneri pelliculam superinducere , ad ipsam mali radicem applicant medicinas : non secūs ego , mali , quod persequor , sanè pessimi curationem facturus , non externis devotiunculis , precibusque Arithmeticè repetitis suadendis insisto . sed ad interiora remedia contendō ; idē considerationes veritatum ex documentis maximorum animæ Zelotum SS. IGNATII ,

¶ XAVERII desumptarum offero, ut his
erudiatur intellectus, ¶ principiis æternis vo-
luntas inflammetur; quô habitô spes certa est
gravissimi bujus mali solum ficcatum iri. Po-
tentior erit gratia, quam natura; æterno-
rum amor momentaneis præferetur; prava
consuetudo meliori, velut clavis clavô retun-
detur, si etque, ut subter te sit appetitus
tuus, & tu dominaberis illius. Quod us
tuo, ¶ meo, imò DEI, totiusque Cœlestis
Curiae (ubi majus est gaudium super uno
peccatore poenitentiam agente, quam su-
per nonaginta novem justis) solatio, quam
optime succedat, medullitus voveo, ¶ Deum
effictim precor.

Salutis tue amantissimus

G. H. S. J.

F 5

Recipe,

Recipe , seu monita pro Cura morbi spiritualis habituati.

1. **M**edici malum gravius curaturi Eu-
ram præcipiunt longiorem ; non
secus nos pro animæ nostræ cu-
ra decem ipsas hebdomades , id est , decem
dierum Veneris , amori Christi Crucifixi ,
Matris dolorosæ , SS. Ignatii , & Xaverii
honoribus instituendam devotionem affa-
nemus , quarum decursu peculiaris nobis ,
& quotidiana erit sollicitudo familiari hac ,
peffimâ tamen ægritudine penitus , & ex in-
tegro liberari . Hoc à Christo , amore no-
stri Crucifixo , per Sanctissimæ Matris suæ ,
ac nostræ , nec non SS. Ignatii , & Xaverii
intercessionem , quām frequentissimè , ma-
ximè tamen 1. manè , dum surgimus ; 2. Sub
SS. Sacramenti elevatione , dum Missam
audimus ; 3. Vesperi , dum decumbimus ,
petemus ; ac totidem vicibus vitæ melioris
propositum ardenter proponemus .

2. Medici præscribere solent , quæ ? quan-
do ? ab ægro sumenda sit medicina : in hunc
finem nos quoque pro decade hebdomada-
rum , decem considerationes , id est , in
peccati familiaris exterminium efficacissi-
mas proponemus medicinas . Nec tamen
necessæ erit totam considerationem celeri-
ter , uno quasi saltu , die Veneris percurrere ;
utilius

utilius foret punctum unicum die qualibet in suam utilitatem convertere ; sed ita , ut veritas ibi proposita benè , benè masticetur , & cum affectu designato sumatur.

3. Medici eis , quorum Curam in se recipiunt , sollicitè insinuant , à quibus abstinere debeant ; cautela hæc in ægritudine animæ persananda præprimis est necessaria ; nempe : ut vitium notum emendare cupiens , illius occasiones fugiat.

4. Medici suis patientibus diætam maximè suadent ; tibi pariter omnis cavenda est intemperantia , ea maximè , per quam natura magiscalefit , ac ad mala incitatur.

5. Medici moderatam corporis exercitationem censent multum conducere ad sanitatem : tibi , qui animæ quæris sanitatem , spirituales exercitationes necessarias esse crede ; ut sunt : singulis diebus veneris devotè confiteri , & communicare . Uti aliquâ mortificatione corporali . Pium aliquem libellum , minimum horæ quadrante , quotidie cum attentione legere . Preces tibi consuetas , Missæ auditionem , examen Conscientiæ cum speciali applicatione peragere . Eleemosynam statui tuo competentem dare , aut alios misericordiæ spiritualis , vel corporalis actus exercere ; hisque similia opera præstare , quæ partim pro præteritis peccatis satisfactoria , partim pro cavendis meritoria sunt ,

6. Medici tandem eos , quos curant , per intervalla invisunt , ut nova pro novis accidentibus pharmaca ordinare possint : quæres tibi quoque in Cura spirituali maximè foret proficua ; si nempè etiam extra confessionem statum animæ , maximè in Ordine ad vitium , quod persequeris , manifestares . Hoc agendi occasio ut tibi præbeatur , Cura hæc Salutis in distinctas pagellas dividetur , singulam in singulas hebdomadas accepturus ; ad priorem proinde pro nova communitandam , accedere Directorem difficilè non erit ; ut sic voce etiam vivâ veritatis explicare ille possit , tûque dubia tua proponere , aut consilia petere valeas .

O R A T I O .

*Ad Christum Crucifixum die Communionis,
vel quotidie iteranda.*

Domine JESU Christe ! qui propter nos homines , & propter nostram salutem nasci , pati , & in ligno crucis mori voluisti ; ecce me miserum , & ob tot peccata mea N. conspectu tuô indignissimum ! quia tamen sum pretium sanguinis tui , in spem clementiæ à te obtainendæ erigor . Tu , qui non vis mortem peccatoris , sed ut convertatur , & vivat , misericordia animæ meæ peccatrici , & illi , in tam aperto salutis pericu-

lo versanti , gratiâ tuâ efficaci succurre . *Læda me ab iniuitate mea , & à peccato meo N. munda me.* Non mereor favorem , sed indignationem tuam justissimam , & infernum mereor ; te tamen per pretiosissimum sanguinem pro me fusum humillimè rogo , non finas me , in opprobrium tuum , carnis , & dæmonis mancipium vivere , & perire . Adjuva fragilitatem meam , ut rumpam consuetudinis pravæ vincula , quibus captivus teneor . Conforta voluntatem , quâ nunc coram te , Sanctissima Matre tua Virgine MARIA ! & universa tua Curia coelesti statuo , & propono : pati potius omnia , mori potius , quam sponte meâ posthac peccato N. consentire . A te gratiam Deus ! à te benedictionem peto ; ut quod nunc statuo , æternum servem . Amen .

*Ora in honorem quinque vulnerum tot Pater
G Ave. Ac privatim toties terram osculare ,
memor : quia pulvis es , & in pulverem
reverteris .*

Ad Beatissimam Virginem dolorosam .

O Benignissima , & tum ob Unigeniti tui dolores , tum ob mea sclera toties commissa , afflittiſſima Virgo ! in te peccatorum omnium refugio confidit anima mea ! illos tuos misericordes oculos in me misefum peccatorem , Clientem tamen tuum ,

licet indignissimum, converte. Ego, heu fateor! auxi dolores materni tui cordis, dum toties peccatis meis Filii tui vulnera renovavi; non sum dignus vocari filius tuus. Quia tamen Mater es gratiae, Mater misericordiae, ad bonitatem tuam supplex confugo: non sinas me in peccato meo N. putriscere; sed ora pro me Filium tuum, interpone pro me lachrimas, & dolores tuos, & impetra: Ut, sicut nunc corde sincero de omnibus totius vitae meae peccatis doleo, ita verae constantis emendationis, & in bono perseverantiae gratiam obtinere merear, sique castus posthac, & tibi charus Filius vivam, & moriar. Amen.

*Per Sanctam Virginitatem, & Immaculatam
Conceptionem tuam purissima Virgo! emun-
da cor, corpus, & animam meam. In No-
mine Patris + & Filii + & Spiritus Sanc-
ti. + Amen.*

Ad SS. Ignatium, & Xaverium.

O Potentissimi apud DEUM Intercesso-
res, & præcipui animarum Zelatores
Sancti Ignati, & Xaveri! vos vehementissi-
mô totum mundum, maximè tamen pecca-
tores, ad DEUM adducendi studiô sem-
per ardebatis, & ideo multa centena millia
animarum, Deo conatibus vestris benedi-
cente, quæ æternum perivissent, ad cœ-
lum

Ium deduxisti! respicite hanc miseram animam meam, videtis in quā manifesto salutis suæ periculo sit constituta! sit hæc Ze- li vestri materia, non finite illam ob peccata sua æternū interire, sed patrociniū ejus in vos recipite, potenti apud Deum Optimum intercessione veram ei pœnitentiam, ac efficacem gratiam impetrare: ut à peccatis suis per Dei misericordiam munda, nunquam ad vomitum revertatur.

Habitus pravus perdit animam.

Miserere animæ tuae. Eccl. 30.

Anima tua est thesaurus tuus; anima tua est pretium tuum; talis es, & tanti pretii, qualis, & quanti anima tua est; si hæc in peccato est, miser es, & miserabilis, & infelicissimus; licet alias dīfissimus, doctissimus, & fortunatissimus sis. Anima tua non est tantum tua, sed est Dei, est tuæ administrationi commissa, pro quam severam dabis illi rationem. O si animæ tuæ pretium intelligeres! quām cautè, quām felicitè illam custodires! sed: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus.* Dum brutalibus indulget cupiditatibus, fit sicut equus, *O mulus, quibus non est intellectus.* Æstima te pluris, ô homo! ad majora natus es, quām ut bestialibus concupiscentiis animam fædes, & perdas. Pluris eam facit

•it dæmon, pro cōjus olim lucro obtulit
omnia regna mundi ; pro qua obtainda
etiamnum circuit quærens , quam devoret.
Ultinam tu tam sollicitus sis pro servanda ani-
ma tua , quam ille sit pro perdenda.

2. Anima tua est ad imaginem , & simili-
tudinem D E I creata ; nihil in humanis eā
est pulchrius ! Si formarentur tot Empyrei
cœli , quot sunt aquarum guttæ , vel arenæ
maris ; omnis pulchritudo eorum simul
sumpta non posset æquare pulchritudinem
unius animæ ; in hac Creator est , sub ipsa
est , quidquid in mundo est . Cognosce te
ð anima decora , quia gloria es Dei ; Sed
quamdiù sine peccato es , tunc enim es ha-
bitaculum Spiritū Sancti ; quamdiù inno-
cens vivis , es Filius DEI charissimus , deli-
cium immaculatæ Virginis , gaudium San-
ctorum , & Angelorum solatium , totum
in te Cœlum deliciatur . Ast , quô momen-
tô te fordidô peccatô commaculas , fit ani-
ma tua monstrum absurdissimum , sedes dæ-
moniorum , abominatio Deo , horror Bea-
tissimæ Virgini , & omnibus Sanctis . Verè
qui faciunt iniquitatem , & peccatum , hostes
sunt animæ . Tob. 12. 10. Oderunt eam per-
tinacissimè , dum eam dehonestant , ex sub-
limissima divinæ filiationis dignitate ad ab-
jectissimam , quæ in creatis esse potest , con-
ditionem scientes , & volentes detrudunt .

3. Nulla lepra , nulla sanies , nullum cadaver putridum esse potest ita abominabile , sicut est anima in peccato constituta in conspectu Dei . Sancta Catharina Senensis sensit aliquando fætorem animæ peccatô maculatæ ; tantus is erat , ut præ ejus abominatione mori eam oportuisset , nisi prodigiosè Deus illam conservâisset . Tolerabilis fætet hominibus canis putridus , ait Bernardus , quæ anima peccatrix Deo . Et propter quid sit anima tam fæda ex tam pulchra ? Ob unam cupiditatulam , ob momentum , ah pudeat ! vultum optas pulchrum , capillos pulchros , vestem pulchram , omnia , si hahere possis , pulchra desideras , animam folam non curas esse fordidam , fædam , & purulentam .

4. Animam tuam tanti fecit æquissimus rerum Æstimator Christus , ut pro ejus salute vitam , & sanguinem dederit ; paratus pro tua sola eadem pati , quæ pro toto mundo passus fuerat , si sufficientia salutis media non haberet ; ex pretio pro ea dato , & à D E O dato , æstima animam tuam ! gutta sanguinis Christi totius Mundi pretium infinites superat , tantum valet anima tua ! at quanti tu eam fecisti ? pro re fordidissima non curasti æternum perditam ! quæ hæc insanias ? Unicam habes animam . Uno oculo amissō , unâ manu , vel aure perditâ , servit

vit alia; sed si anima pereat, perdita sunt simul omnia, cœlum, Deus; & beata æternitas. Porrò hoc *unum est necessarium*, omnia si perdas, anima ne pereat. Totus Mundus animæ tuæ pretium assequi non potest: non enim pro toto Mundo animam suam Deus dare voluisse, quam pro tua tamen dedit. Quam ergo commutationem tu das pro anima tua, qui pro nihilo illam das?

5. Deus animam tuam creavit, ut salveretur; redemit, ut salvetur; tot gratiis, beneficiis cumulavit, ut salvetur; hæc unica illius cura, hæc expectatio, hoc desiderium: & tu sponte, nemine cogente, actu deliberatō, contra Dei internè dehortantis instinctum, contra propriæ conscientiæ remorsum eam pessimadas, & quantum in te esset, toties æternū damnas, quoties peccas. Et quoties hoc factum? nonnè *qui diligat iniquitatem, odit animam suam.* Psal. 10. 6. Nonnè diligit, qui toties iterat.

6. Si totius Mundi machina interiret, non foret tam magnum, quām si unica anima pereat; & quid si tua? curet quisque suam! Quid, enim, prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò sue detrimen:um patiatur. Matth. 4. Tu non prototo mundo, sed pro vilissima, & abominabili re eam Diabolo venalem facis. Anima

ma quidem tua immortalis est ex natura, vitam gratiae, post Baptismum pariter habet immortalem; vita haec pluris facienda est, quam vita omnium hominum, etiam possibilium, haec enim vita Divina est, æterna est, quam nullus homo, nec totus infernus, imò nec Deus eripere tibi potest, nisi vitam hanc ipse tibi peccato ademeris; anima enim, quæ peccaverit, ipsa morietur. Ezech. 18. 4. Et quidem morte infelicissimam, ex qua ægerrime possit ad vitam gratiae revocari. Facilius longè est mortuum ad vitam, quam sordidum habituatum peccatorem ad seriam emendationem revocare. Vide, quò tua te cupiditas agat præcipitem, vide, quam atrox homicida sit peccatum.

7. Non est opus gratius Deo, quam animas salvare; hoc divinorum omium divinissimum opus est. Qui cooperatione suâ vel unam aliquando animam salvaverit, is perire vix poterit; cum haec tanti memor beneficij pro eo apud Deum sit intercessura: tua tibi sit prima, quam salves; in tua hoc est potestate; haeres es cœli, modò hereditatem hanc peccato non prodigas. Quantum solatii haberes, si precibus tuis, aut bonis operibus animam ex inferno liberasses? Liberas tuam certò, si eam ex perverissima, quâ teneris, consuetudine liberas;

ras ; hoc age , & æternūm vives , Miser ho-
mo ! ut miserum pascas corpus , & vestias ;
ut ejus commodis , quod post paucos dies
à vermis devorabitur , satisfacias , quan-
tūm non laboras , vigilas ; & pro anima tua ,
quæ æterna est , ut benè illi semper sit , tam
parūm fatagis ?

AFFECTUS.

Pudet , heu pudet me dementiæ mæ , be-
nignissime Deus ! quòd animam meam ,
imaginem tuam toties , & tain fædè con-
spurcaverim . O fædissima animæ lepra ! ô
pestis mortifera ! quomodo tam amens esse
potui , ut te ultrà quæsiverim ! pænitet , sem-
pérque me pænitebit stultitiae & cæcitatis
mæ ! detestor turpitudines meas super omne
detestabile . Malo cum Ludovico corpus
leprâ infici , quâm animam posthac peccatô
tam exitiali maculare . Malo cum S. Ed-
mundo mori millies , quâm vel semel posthac
fædari . Malo cum S. Anselmo purus æter-
nūm damnari , quâm peccati forde pollutus
cœlum possidere . Tu Deus confirma hanc
voluntatem , juva imbecillitatem !

Habitus pravus corpus perdit.

*Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ,
ut obediatis concupiscentiis ejus . Rom. 6. 12.*

i. Nonnæ

1. Nonne anima plus est, quam corpus ?
 Matth. 6. Illa immortalis, hoc obnoxium corruptioni; illa imago Dei, hoc pulvis, & cinis: & tamen hoc *corpus*, quod corruptitur, quoties aggravat, immo perdit animam? quoties ut illius cupiditati satifiat, ista æternæ damnationis periculo exponitur, immo non periculo tantum, sed damnationi immolatur. Expende corpus tuum: quid fuit? quid erit? fuit lutum fætidum; est saccus sterorum, & fons continuus quotidianarum spurcitarum; morbis quot obnoxium? erit, & fortè citius, quam tu putas, cadaver putidum, esca verminum, omnium abominatio. Ex his oculis, quos periculis saepè aspectibus pavisti, prospicient vermes; ex ore tot spurciliquis assueto fluet sanies; ex ventre, cuius voluptatibus indulsi, ranarum, & serpentum colluvies enascetur; & tamen, ut hujus tam fordidi corporis cupiditati fiat satis, animam negligis, Deum contemnis; ô infania!

2. Creavit Deus corpus, ut animæ serviat ad augenda merita; ut sit instrumentum, quo mediante cœlum lucreris; & quam hic Ordo præposterus! *Caro concupiscit adversus Spiritum.* Gal. 5. 17. Ut bene ad momentum sit corpori, quidquid sit cum anima, nihil pensi ducitur; dominatur appetitus,

titus, sensus queritur, opprimitur ratio;
hoc est, ancilla imperat, & Domina in tur-
pissimam conjicitur servitutem, imò infra
pecudes abjicitur. Nempe: *Homo cum in
honore esset, non intellexit, comparatus est ju-
mentis insipientibus, & similis factus est illis.*
Psal. 48.

3. Est tibi corpus integrum, sensus viva-
ces, membra benè ordinata; & cujus hæc
beneficiō, nisi Dei? qui te clandum, luscum,
aut cæcum creare poterat, ut multos crea-
vit; & tamen hæc ipsa Dei beneficia tu
Scelerum facis instrumenta, dum sensibus
abuteris ad tuas cupiditates; dum omnem
oculis ad illicita libertatem, auribus ad ob-
scena procaciam, linguae ad impura licen-
tiam laxas; dum manum extendis ad igno-
miniam. *Hæcine reddis, popule stulte, Deo
Benefactori tuo?*

4. Non est ullus hostis tibi magis noxius,
ut nec vicinus magis, quam tua cupiditas;
nec Orcus, imò nec Deus tantum tibi dam-
ni afferre potest; ut turpis concupiscentia.
Hæc rapuit innocentiam, id est, thesaurum
thesaurorum maximum, qui perditus recu-
perari non potest; dñmaum, de quo tota
æternitate dolere possis, quia laureolam
Virginitatis tibi sustulit; & hunc tu hostem
non modò non persequeris, sed foves, sed
tyranno, blando quidem, maximè tamen
noxiq;

noxio servire ultrò concupiscis? Ob levem
injuriam tibi illatam , quām citò , quām fer-
venter commoveris? quām sedulò damnum ,
si quod tibi est illatum , reparare sat agis? ob
læsum fortè honorem quamdiù in animo
foves vindictam? Et cur nullam de corpo-
re tuo vindictam meditaris , hic hostis tuus
est , qui te coram universa cœlesti curia ad-
duxit in infamiam; qui infinita tibi damna
intulit , dum te Deo spoliavit; qui etiam-
num vitæ tuæ , immortali nempè gloriæ in-
ficiatur. Irascere , indignare hosti tuo ;
hæc sancta est ira , innocens vindicta. Ani-
mam non amat , qui corpori blanditur. Vir-
ga , & onus asino Eccl. 33 , v. 25.

§. Durum est jugum voluptatis , quod ubi
semel admifisti , ægrè amplius possis excu-
tere; sicut quò plus sunt potæ , plus sitiun-
tur aquæ ab hydropico , ità voluptate semel
admissâ crescit semper sitis habendi ; nun-
quam dicit : sufficit. Verè *inimici hominis*
domestici ejus. Quoties *oculus* tuus *depræda-*
tus est *animam* tuam ? quoties *venenum*
auribus haufisti ? quoties manus ad *flagitium*
extendisti? & hi atrocissimi illi hostes sunt ,
qui te *Dei gratiâ* spoliatum , captivatum te-
nent ; si sapiis , Christi consilium audies: Si
oculus tuus , vel *manus tua* scandalizat te ,
erue illum , *abscinde hanc* , id est ; *averte occu-*
los tuos , *nè viaeant vanitatem* , taceo pejora ;
sepi

*sepi aures tuas spinis , nè quid illecebrofi ad-
mittant ; pone ori tuo custodiam , O ostium
circumstantiae labiis tuis , nè vel verbulum
indè minus honestum excidat. Si tui domi-
nati non fuerint , tunc immaculatus eris.
Cave , si semel cœperint dominari , non ni-
si ægerrimè ponent imperium. Repugna-
bis , contradices , parùm tamen proficies ,
nisi ad tempus ; si caro iterum titillet , natu-
ra inclinet , tentet Diabolus , quid fiet ? scin-
tilla tibi sufficiet , ut vetus excitetur in te
incendium , quod amaris forte lachrymis
jam saepius extinxisti. Excute jugum vo-
luptatis , dic generosè : Non serviam tam
turpi Dominæ , tam vafræ seduœtrici.*

6. Vide Santos , quomodo corpus suum
tractaverint , quam longâ , & frequenti ine-
diâ emaciaverint ; quot flagris , & ciliciis do-
muerint ; vigiliis . & humicubationibus at-
triverint ; ut à peccato præservarent ? vive-
re illos tædebat , & quomodo voluptatibus
indulgere libuisse ? audi Paulum , Vas ele-
ctionis , raptum ad tertium cœlum : *cœstigo
fatetur ille , corpus meum , O in servitu-
tem redigo , nè , dum aliis prædicaverim ,
ipse reprobis efficiar.* Sentiebat is legem in
membris suis repugnantem legi mentis , &
sciebat , quia non posset esse continens , nisi
Deus det , ideo corpus suum , non secus , ac
hostem , persequebatur : & tu vestitus mol-
libus ,

libus, educatus in croceis, inter mille pericula, mille tentationes constitutus vel ad nomen mortificationis exhorrescis, & tamen castus esse vis, Angelus manere speras? sed, ad tuam experientiam provoco, erras, qui sic putas, nam *lilium* non est tutum, nisi *inter spinas*.

7. Sibi demum ipsi corpus plurimum nocet, dum suæ indulget voluptati. Præterquam enim, quod hæc memoriam minuat, & obtundat ingenium, vehementer etiam viribus, & corporis officit sanitati; juventæ florem decoquit, vocem exasperat, visum hebetat, corrumpit colorem, plures post se morbos trahit, & vitam plurimum abbreviat. Scisnè unde non raro in juvene luridus ille, & plumbeus faciei color, oculorum livor, vox strepera, difficilis anhelitus & hecticam, aut phthysim credis? consule Augustinum: *Febris tua, inquit is, libido est.*

AFFECTUS.

Heu me! quam stultus ego mercator hantus fui? pro corpore hoc luteo, animam; pro turpi voluptate, cœlestem Ambrosiam; pro momentanea fæditate, felicitatem æternam; pro brutalí appetitu, cœlestia Beatorum gaudia, quantum in me est; perdidi, venumdedi; Heu caro decepit me, tentatio me seduxit. Parce Domine! par-

ce ! nec insipientiam meam , sed tuam , bo-
nitatem respice , propter quam solam toties ,
tam turpiter à me offensam ex toto corde ,
ex omnibus animæ meæ potentiis doleo ,
sincerè doleo , quantum possum doleo , &
semper , te adjuvante , dolebo ! Absit Do-
mine mi , ut abeam post vestigia gregum , &
bestiales posthac sequar concupiscentias
meas . Excutiam ferreum hoc meæ pravæ
consuetudinis jugum , tibi serviam , cuius
jugum suave , & onus leve.

Habitus mortem facit amaram.

Per peccatum mors. Rom. 5. v. 12.

3. **C**Redas , non credas ; velis , non velis ;
morieris . *Statutum est omnibus ho-
minibus semel mori.* Hæc sola est Regula ,
quæ caret exceptione ; dives , & pauper ;
doctus , & rudis ; Rex , & Rusticus eadem le-
ge renentur ; me , & te fors eadem excipiet ,
te sceleratum heu ! qualis expectat . Resistere
potes armis , & potestatibus ; resistere po-
tes igni , & elementis ; morti resistere non
poteris ; incassum laboras ; morieris . Et ,
quod mortis acerbitatem auget maximè , se-
mel morieris , si sæpiùs mors rediret , ut
errorem in priori admissum emendare pos-
ses in secunda , excusabilis fortè foret demen-
tia , negotium salutis periculo , sed repara-
bili subjicere ; nunc inemendabilis error
cum

cum sit, cave ludere cum anima, ne mors imparatam occupet. Mors pœna est peccati, quoties peccas, eam denuo mereris; maximè tamen, si te vitiō carnis contamines; de quo specialiter Paulus: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Rom. §. v. 13. Considera jam te ipsum: nunquid *nomen habes, quod vivas, & mortuus es;* vivunt in te vitia, vivit passio, & concupiscentia; sed moritur Dei gratia; quin & corpus sensim emoritur.

2. Peccato huic addicti longævi etiam naturaliter esse non solent, ipsi sibi quovis actu peccaminoso vitam eunt abbreviatum. Avicennæ Medici fidem appello: quilibet actus præcipue in Juvene, plus de viribus, & sanitate demit, quam si medium sanguinis libram è corpore fudisset. Plures occidit hoc peccatum, quam gladius; ignis quippe venereus nimium quantum accedit sanguinem, & sensim sine sensu vires depascitur. Hinc tanta post juventutem hoc in habitu actam morborum colluvies, & virium defectus; vis quippe naturæ illata hanc debilitat, & consumit. Unde licet crimen hoc lege Divinâ non foret vetitum, illud committere insania voluntariæ adscribi mereatur.

3. Deus in pœnam peccati abbreviat vitam. *Impius* (ita statuente Deo) *antequam*

dies ejus impleantur, peribit. Job. 15. v. 32.
Castitas longævos facit, ubi libido multos
vitæ annos imminuit. *Minorâsti dies ejus.*
Pfalm. 88. Diu floruisse Sodoma, nisi ob
 fædas libidinis flaminas sulphureo igne peri-
 visset : quia *omnis olim caro corruperat vi-*
am suam, totus mundus diluvio expiari de-
 buit. Tûne solus sperabis à pœna immuni-
 tatem habituate ? qui eam fortè sæpius præ-
 aliis provocâsti, & per singula quibus con-
 fueisti, scelera denuo provocas. Gave ;
 Deus non irridetur, quâ horâ non putatis, Fi-
 lius hominis veniet.

4. *Mors peccatorum pessima !* Heu quam
 durum, quam periculi plenum erit habi-
 tuato mori ! hinc occurret sceleris magnitu-
 do, & enormitas ; terrebit ejusdem commis-
 si multitudo. Occurret gratiarum à Deo ac-
 ceptarum copia, & tot instinctum à scele-
 re avocantium abundantia ; & hæc *sicut onus*
grave gravabunt animam tuam ; *gravabunt*
Sacra menta toties finè fructu usurpata ; *tot*
salutares boni Angeli dehortationes ; *tot*
Confessarii monita ; *hujus, quod tenes, foli-*
oli lectio, si contemnis, te gravabit. Quid
 tum cogitabis ? quò te convertes ? si cœlum
 aspicies, dolebis illud toties tam turpiter à te
 perditum ; si oculos deorsum flectes, occur-
 ret infernus, quò patulam tot iterata peccata
 tibi portam aperuerunt. Vide, quò, nisi re-
 flis, prava te ducat consuetudo ? 5. Et

5. Et quid si mors adsit in propinquio ? an
nè tu tibi tutò craftinum possis polliceri ?
quovis momentò eam accedis propriùs : ut
certissima , & inevitabilis est ; ità incertissi-
mam quoad locum , tempus , modum , eam
Deus esse voluit , ut semper ad eam parati
vivereimus . *Quâ horâ non putatis.* Tarqui-
nium spina pīscis , Fabium pilus cum lacte
hauſtus , Anacreontem uvæ acinus , Marci
Aurelii filiam punctio acūs extinxit . Man-
lium Torquatum , dum cænaret ; Saufeium ,
dum ovum sorberet ; Æmilium , dum egre-
diens cubiculi limen calcaret ; Bebiūm , dum
à puero horas quæreret , mors opprefſit .
Et nunquid tibi quoque pari mors celerita-
te occurrere potest ? & quid si tum anima
ſit in peccato ? Quot non surrexerunt hodie
ſani , qui vesperum non attingent ? quid ſi
lectus iſte , aut locus , qui te ad peccandum
invitat , tibi ſit mortualis . Milleni ſunt ,
qui hōc momentō moriuntur ; forte proximum ,
vel non remotum te expectat , &
tamen peccare ausis ? quid ſi nunc adefſet ,
quomodo præteritorum delictoruim memo-
ria premeret conscientiam ?

6. Nec in agone te aucturum pœnitentiam
ſpera . Qualis vita , mors eſt ità . Vel enim
tunc Confessarius deerit , vel nimia corpo-
ris debilitas animæ operationes impediet .
Crēde Augustino : Pœnitentia ſera , raro eſt

vera. Anima in homine non operatur nisi dependenter ab organis corporis , hoc proinde per morbum lethalem vix spirante, quomodo anima se ad actus supernaturales eriget , quam insuper mortis instantis metus , de rebus temporalibus, debitis, testamento sollicitudo per varia distrahet , & occupabit. Imò & iusta Dei in habituatum pœna est, ut, qui efficaciter emendationem noluit, cùm posset, non possit, etiam cùm vellet; siátque ei, quod Antiocho : *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* 2. Mach. 9. Stultum est, tunc velle incipere benè vivere, cùm desiderandum est vivere. Si sapis : *Ecce nunc dies salutis ; bodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

7. Ordinaria peccati frequentati pœna est, mors improvisa, & repentina. *Subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Job. 5. 32. Scelera sceleribus addunt, donec momentum veniat, & vel lapsu, vel alio casu infelici repente concidant. Multos ipse sceleris conatus extinxit. Ubi minimè credunt, in idu oculi avocantur è vita. Mille Deo sunt modi: igne, ferrō, aquis, glande plumbeā, tegulæ fragmine, apoplexiā, casu, minimè tamen casu, sed justissimā Dei toties offensi, nunc vindicis, indignatione ad extrema dœducuntur, sicque

que fit , ut , quia Confessionis spes , & facilis-
tas frequentiam peccati faciliorem fecit , ejus
nunc copia subtrahatur . *Clausa est janua ,*
Et quid tunc cum misera tua anima ?

AFFECTUS.

BEnignissime Deus , Domine vitæ , & mor-
tis ! agnosco impietatem meam ! pec-
catum meum contra me est semper ! quanto
pejor ego , tantò tu erga me benignior ex-
titisti ; toties mortem meritus ego , tu con-
servâsti ; peccata peccatis accumulare non
sum veritus , & tu gratiis gratias addere non
cessasti ; tu peccanti veniam toties offere-
bas , immò dabas , ego tamen hâc tam turpi-
ter abusus , ô ingratitudinem meam ! iterum
novis peccatis iram tuam lacestivi , meritus ,
ut patientia tua justissimum verteretur in fu-
turem , & in tempore vindictæ disperderes
me ; tu tamen usque hodie animam meam ,
velut errantem oviculam , Pastor optime ,
alicere non cessas ! & te ne benignissimum
Dominum meum iterum exacerbabo ? ab-
sít Domine , absit . Deleas me de libro vi-
ventium , igne , ferrô , fulmine impium hoc
caput feri , si novis te rursus peccatis offen-
dam .

Habitus pravus aggravat judicium .
Pro bis omnibus adducet te Deus in judicium ,
Eocl. 11. 9.

1. **Q**uanta nefando habituati peccato insit turpitudo ; inde collige , quòd latasbras, & angulos, imò tenebras quærat, & maximè cupiat occultari. Pudet nempè vitium hoc suimet ipsius , verecundatur innotescere. Si omnibus nota essent ea , quæ tu de te ipso scis , flagitia , quantum erubesceres ? sed ô insana sollicitudo ! hominum oculos effugere potes , Deum latere non potes. *Omnia aperta sunt oculis ejus.* In angulo illo, illis in tenebris videt ille , quod tu tantoper occultum cupit ; nec videt tantum , sed prohibet , minatur , abominatur ; & nunquid plus est in Dei , quam totius mundi conspectu peccare ?

2. Quia verò hæc **D E I** omnia videntis præsentia te non deterret à crimine , facit ille , ut abominatio ista non semper lateat, sed ubi , & unde minimè putas , palam aliis innotescat. Nihil tam absconditum , quod non revelabitur. Multa sunt signa , per quæ , veluti per rimas , se scelus hoc prodit , quantumcunque celetur ; ex oculis , ex vultu legi potest. Ideò fortè vitio huic obnoxii proborum virorum conspectum fugiunt , erubescunt nempè iis tam esse dissimiles , probisque eorum moribus tacitè suam castigari procaciam finè verecundia ferre non possunt. Frustra tamen quæruntur latebræ , faciet Deus , ut , qui homines magis verent-

cor, quam eum, quæ in abdito patrâuntur,
super tecta prædicentur.

3. Et licet hic non, patefiet, certè ibi omnis *iniquitas*, ubi liber scriptus proferetur, in quo totum, quidquid in angulis, his & illis, quidquid vitâ totâ sordidum, & abominabile commisisti, continetur. Pro his omnibus, nullâ cogitatione, consensu, verbo, aut opere, hujusque circumstantiis negligetis, adducet te, quantumcunque relutantem, cujuscunque authoritatis sis, Deus, quem pro momentanea sensualitate offendiisti, in judicium, tantâ tui confusione, ut præ verecundia dicturus sis montibus: cadiete super me; & vallibus: operite me. Aderunt ibi, hinc peccata longâ serie te accusantia, illic dæmonia tibi insultantia, subitus horrendum inferni chaos, desuper iratus judex; foris videbitur mundus conflagrans, intus urens conscientia. Heu miser! sic deprehensus quò fugies? latere erit impossibile, apparere intolerabile.

4. Deus, qui nunc veniam offert, qui dehortatur à crimine, aderit, sed judex, & vindicta aderit; in rigore justitiae reddet unicuique, etiam tibi, qui hæc legis, tibi tot sceleribus infamibus dedito reddet, prout gessit in corpore, non prout apparebat coram hominibus, inexorabilis, absque remedio, aut effugio reddet, prout unusquisque gessit in

cōpōrē, sive bonum, sive malum. Quid tibi tum proderunt fæditates tuæ, quid maledicta Societas, quid nefanda mali consuetudo? quò te vertes? cùm vix *justus* sit *securus*, *impius*, & *peccator* ubi parebunt?
 1. Pet. 4. Ad memoriam tubæ illius: *Surgite mortui, venite ad iudicium*, horrent sancti, Eremitæ contremiscunt, & tu ad eam obsurdesces, nec desines peccare? Cessa, cessa nunc Dei misericordiæ illudere, nè incidas in justitiam. Majus tormentum erit furorem divini vultūs tolerare, quam omnes inferni cruciatus sustinere. Ille judicabit animam tuam, qui eam redemit per mortem suam; qui tantum contulit, scit, quantum reposcat. Justus est: nec affe&tu prævenitur; nec misericordiâ flectitur; nec prece, nec pretio corrumpitur; nec satisfactione ibi ullâ mitigabitur. Sera illic erit emendatio, quam toties procrastinâsti. Modò, si sapis, dum licet, mores muta. Nec tempus ibi erit amplius, nec falsi testes locum habebunt, nec ingeniosis judicem arribus eludere poteris, ille námque erit iudex causæ tuæ, qui semper adstat testis vitæ tuæ.

5. Aderit in iudicio dæmon, qui te ad criminis impulit; sed aderit accusator, & contra te à justo iudice vindictam postulabit. Quæ, quanta, cum quibus peccata commissis?

feris? ex ordine recensebit, & cuius malefaciens toties temptationibus consensisti, tunc tibi insultabit: *redde rationem.* Aderit & Custos tuus Angelus, sed tristis contestabitur, quoties salutaria tibi consilia suggesserit, quoties remorsus conscientiae moverit? negare non audebis, excusare non poteris, deprecatione non habebit locum. Quid ergo facies? Cùm surrexerit ad judicandum Deus, & cùm queratur, quid respondabis illi? Job. 31. 14. Sera ibi venient consilia, inefficax occurret pœnitudo. Confusio operiet faciem tuam, timor, ac tremor membra concutient; tunc auferetur velum de oculis tuis, & sole clatiùs insipientiam tuam videbis, videbis scelerum enormitatem, multitudinem horribilis, erubesces fœditatem, & hæc sine fructu, absqne remedio. Nunc guttula verè pœnitentis animi plus prodesset, quàm ibi maria integra lachrymarum.

6. Audi, & contremisce terrificam Judicis sententiam: *I maledicte in ignem eternum.* O fulmen horrendum! vocavi te per tot inspirationes, & conscientiae remorsus, per tot quà Confessorum monita, quà Exhortatorum consilia vocavi, & noluisti, sed voluntati meæ voluptatem tuam prætulisti? dæmoni potius, & carni, quàm mihi obedivisti: ego quoque in interitu tuo ridebo, Scravì te, cùm non esses; redemi, cùm

perivissem, tot naturæ donis, & gratiæ beneficis immeritum cumulavi; & me, mandata mea, propter quid? propter sordes abominabiles, beatam æternitatem pro momentanea voluptate contempsisti; ergo i maledictæ in ignem æternum. O verè, verè finis eorum interitus!

7. Non dices ibi, quòd nunc fortè aliquando cogitas: *peccavi*, *O quid mibi accidit triste?* in momento, in iðtu oculi disperdet te Dominus; in manibus ejus sortes tuæ. Vel tibi triste aliquid accidit hactenus, vel nihil? si accidit, digna factis recepisti; poena peccati fuit; & quid aliud sceleratus à Deo offendit expectet: si nihil accidit, si *via impiorum prosperatur, vœ illis, vœ tibi, time;* compensat hic Deus modica bona, quæ fecisti; mala in æternum puniturus. Audi proinde nunc Deum à scelere revocantem, ne audias in judicio fulminantem.

AFFECTUS.

O Domine! non intres in judicium cum servo tuo; servo nequam, infideli, ingrato, plusquam centum millium talentorum debitore; si non *justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, quid ego sperare possim, imò quid non timere debeam? Ego, qui in tuo conspectu, ad majorem tui contemptum, toties, & quidem reluctante conscientiâ, te internè dehortante, prævaricatus

scatus sum legem tuam. Si in *lucernis scriba*
taberis Jerusalem, quod judicium animæ meæ
fiet, quæ computruit in peccatis, sterquilinum
facta, & abominatio coram Deo, &
hominibus; & ideo tamquam *tumentes super*
me fluctus timeo, & totò corpore contremi-
sco vel cogitare judicium tuum. Unum hoc
mihi peccatorum maximo supereft solatum,
quod tu, qui olim *judex meus eris*, nunc Pa-
ter sis, coram te proinde procidens ingemi-
sco : *Pater peccavi in cælam !*

Habitus post se trahit infernum.

*Ducunt in bonis dies suos, & in punto ad in-
fernā descendunt. Job. 21. 13.*

I. **H**eu quid agis? *ducis in bonis*, scilicet
quæ tu talia esse credis, re ipsâ du-
cis in rebus pessimis *dies tuos*; vivis imme-
mor salutis, conscientiæ incurius; vivis, si-
cūt *Sus in volutabro luti*; & quid putas fiet
in punto, in iētu oculi, ubi minimè reris,
ad *inferna* descendes. Hæc vitæ in scele-
ribus aetæ merces est ordinaria, ut, ubi nu-
merum peccatorum, sibi à summi Domini
providentia definitum compleverunt, re-
pentè, ex improviso, imparati moriantur,
pabulum ignis æternum futuri, pars illo-
rum erit in lacu ignis *inferni*, ubi fumus, &
sulphur. *Apocal. 12. 8.* Vide miser: quæ

tu properas? quò indomita te raptet concupiscentia? Time gehennam, contremisce à dentibus feræ infernalis, à faucibus inferni, à rugientibus preparatis ad escam. Time vermen rodentem, fumum, & vaporem, & sulphur, & spiritum procellarum ignearum, & dicio: quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletus, & dolore stridores dentium. O peccatum, quām gravem post te trahis calamitatem, in qua æternitas acerbitatem, & acerbitas auget æternitatem! Quid hic cogitas habituate? habes sanè, quod timeas, & totis artibus contremiscas: Æternis ignibus Deus punit peccatum etiam unicum, & qui puniet, inveteratæ consuetudinis fructus, innumera? punieris in numero, pondere, & mensura. Delictorum numerus numerum definiet suppliciorum: illorum enormitas pœnarum distinguet gravitatem; modus cognitionis erit dolorum mensura.

2. *Momentaneum*, quod delectat; *æternum*, quod cruciat. Cogita hinc momentum, inde æternum. *Momentum*, quid brevius, in iactu oculi, vix sentitur, fulguris instar simul est in ortu, & occasu. *Æternum*, quid longius, sine fine, quamdiu Deus erit Deus, post mille millia millionum annorum, non erit finis; ardebunt

voluptuosi semper in stagno ignis ardentis,
nunquam levamen ullum habituri, Poena
omnis, & calamitas, quam ab orbe condito
usque hue passi sunt omnes homines, minor
est, imò delicium, si cum minima etiam
interni poena comparetur; quidquid de hac
dici, aut cogitari potest, in comparatione in-
ferti tam parum est, quam gutta mari com-
parata. O stulte mercator! qui pro mo-
mento voluptatis poenarum heu! tam acer-
barum æternitatem mercaris.

3. Audi Jonatham ferò gementem: *Gua-*
llans gustavi in summitate virgæ modicum
mellis, Ecce morior! infelix modicum,
non tam mellis, quam amaritudinis, quod
mors, & quidem æterna consequitur. Ha-
bet quippè Deus infinita jura, & titulos,
quibus ab homine amari deberet, quia ve-
rò peccator omnes violat, justè infinitam
pœnam promeretur. Considera Epulonem:
duxit in bonis dies suos; epulatus quotidie
splendide; sensualitati suæ fræna laxavit;
sed quamdiu! modicūm; inter admissam,
& amissam voluptatem nihil medium; Ecce
in punto sepultus est in inferno. O cæca
mortalitas! pro modico mellis putatitii,
pro gutta voluptatis imaginariæ, imò
*pro re fæda, fædissima, simul & brevif-
ima æternat ubi pœnas velle consciſce-
*bit.**

4. Ad cogitatione inferni atria; audi gemitus, lachrymas, dentium stridorem audi; & infelices illas animas, quomodo eorum miseriarum, & ad hanc calamitatum omnium abyssum nunquam, nunquam terminabilem delapsæ sint? interroga; & intelliges: E centum damnatis Juvenibus nonaginta novem ob vitium carnis perivisse. Hæc nempe consuetudo replet infernum; huic dediti tot passibus appropinquant inferno, quot vicibus labuntur. Hæc via illa est, *lata, expatiosa*, cuius finis interitus, quæ dicit in præcipitum æternum; &, quod deplorandum maximè: *multi sunt, qui eunt per illam.* Revoca gressum, si sapi; via hæc, quæ graderis, certissimum dicit ad interitum. **Cave.**

5. Multi, nec dubita, ob unicum peccatum, idque semel tantum commissum ardent nunc in inferno, & semper ardebunt; justissimô Dei judiciô, qui licet amet animam, ut imaginem suæ Divinitatis, adeò tamen odit peccatum, ut propter hoc abjectiat illam à conspectu suo in æternum; & quis ita punit? Pater noster, cuius miserationes super omnia opera ejus; D E U S est, hominis gratiâ homo factus, tanta passus: & quem punit, is est, quem creavit, ut salvus fiat, quem sanguine suô redemit. Res proinde in Dei conspectu grandis est peccatum!

tum! Inī jam tecum numerum habituate; quoties infernum meruisti? examina cogitationes, & desideria fæda; numera jocos, & turpiloquia; coge in calculos obscenitates cæteras; & cur nondum ardes? certè, non ut iterum pecces, sed ut convertaris, & vivas. Nec differ; qui enim pœnitenti veniam promisit, crastinum non promisit. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul speribitis.*
Luc. 13.

6. *Ex inferno nulla redemptio.* Frustra ibi factorum te pœnitabit; frustra seductores, & criminum socios incusabis; nulla redemptio; aliorum pro te preces, & suffragia, sanctorum intercessio nihil proderit. *Nunc dies salutis,* nunc potes infernum evitare. Pone consuetudinem; elue à fôrdibus animam; notum tibi vitium defere; hoc si non facis, *perditio tua ex te.* Nec mirum, si Deus te perdat, cùm tu nec te ipsum, nec Deum cures. Clavis inferni peccatum est, ejus certitudo hujus consuetudo est.

7. O si damnatis horula daretur vel media, quid non facerent? quām sinceram plenāmque doloris pœnitentiam agerent; quām sollicitè spericula caverent singula, quām procul pravis ab habitibus recederent; & quid tu facis? tu, quid toties ex inferno, magnâ Dei bonitate, liberatus es, quoties infernum meruisses? tu, qui plus debes Deo, quod

quòd, cùm te potuist et damnare, id non fecerit, quām si te damnatum liberāsse? quid ergo agis? annè majus beneficium majori rependes ingratitudine, hoc sanè foret insanire, scelus hoc nec inferni pœnis satis posset expiari. Age, quod agendum est: vel emendandus est habitus, vel ardendum. Elige.

A F F E C T U S.

O Magne, & Omnipotens Domine! in cuius manu sunt claves cœli, & inferni, quoties illi sponte valedixi; quoties hunc merui? perivissem utiq; nisi tua bonitate mihi immeritissimo clementissimè collatâ reservatus fuisset. Agnosco, adoro clementiam tuam, cui soli debeo, quòd nunc non ardeam, uti multi alii, & me quidem meliores. *Nisi Dominus adjuvisset me, paulò minus, imò certissimè, in inferno habitaret anima mea.* Heu me! quas ibi flamas, quæ supplicia nunc deberem actu tolerare, ejularem, desperarem! tibi Clementissime D E U S debeo, quòd vivam, quòd possim sclera mea detestari, quæ detestor super omnia mala, pœnitet, æternumque pœnitabit! tum quòd infernum toties promeritus sim, tum & maximè, quòd tuam Deus bonitatem, etiam erga me indignissimum profusissimam offendierim. Absit, ut nunquam offendam amplius; ardere malo: malo ignes æternos

sub-

subire, quām tibi, mi Deus ! amplius, for-
didō hōc vitiō displicere, pro innumeris
beneficiis tantum malum reddere !

Habitus facit dæmonis servum.

Qui facit peccatum, servus est peccati. Jo. 19.

Cum nihil esses, nihil posses, creatus es ; & hoc ideo , ut Deo servires, cui ser-
vire regnare est, obsequium sibi præstum
centuplō , imò æternō præmiō remuneratur : & tu habituate Ævi, à quo te, tua omnia ha-
bes, jugum excutis , protervè si non verbō , certè opere dicis : non serviam. Addicis te
principi tenebrarum , dum per peccatum fa-
cis te diaboli mancipium , qui te ad pascen-
dos porcos, quorum deliciæ lutum sunt, ab-
legat. Nega, si potes, quoties Deo , Do-
mino tuo rebellis factus , ad ejus hostem
transivisti ; quoties Creatorem tuum omni-
potentem, quantum in te est, annihilasti :
quoties Dæmonem præ Deo adorâsti : &
quanta hæc Deo injuria ? quanta rei indigni-
tas ? *Unusquisque peccando animam suam Dia-
bolo vendit ; acceptō tanquam pretiō , dulcedine
temporalis voluptatis.* Aug. Cujus quis vo-
luntatem facit, illius servus est.

2. Dura est peccati servitus ! in hanc qui se
immittit, heu ! quām ægrè liberatur. Sicut
avis capta viscē ita tenaciter illaqueatur, ut
est •

est conetur , avolare non possit, sed fit præda aucupis : ita sordidus criminis hujus viscum inquinatus adeo tenaciter haeret in luto facies , ut ægerrimè possit eluctari . Tenet quippe , quem semel illaqueavit , infernalis auceps , & avolere parantem , iterum retrahit , nec unguibus suis eripi facile finit . Tenet cupiditas , donec perdat . Et his tu temet ultrò laqueis velis irretitum ?

3. Malus , etiamsi regnet , ac latè imperet , servus est ; nec unius hominis , sed , quod miserabilius , tot dominorum , quot vitiorum . August . Cùm Filius Dei esse possis per gratiam , cur servum te Dæmonio sponte facis per peccatum ? auream amittis libertatem , dum ad nefanda quæquam non tam sollicitat , quam cogit te Dominus ille , cuius imperio te ultrò subdidisti . Excute proinde jugum , rumpe vincula , non regnet peccatum in vestro mortali corpore , ut obediatis concupiscentiis ejus , peccatum enim vobis dominabitur . ad Rom . 6 . È momento , quô graviter peccas , Dæmoni jus , & potestatem tribuis non in animam tantum , sed & in corpus tuum , ita , ut illi non sit amplius necesse petere à Deo dispensationem , ut per præstigias , vel alia ratione tibi noceat . Segn . Et dulce tibi sit hoc dæmonis imperium !

4. Quid si peccati consuetudo alteram transeat in naturam ? heu ! quam sæva , quam inclu-

ineluctabilis servitus est ! Regnum , quod semel occupavit, ægrè dimittet. Augustinum audi testem : *Ligatus eram , non ferrō alienō , sed ferreā meā voluntate.* Dum actus actui , velut filum filo , annulus annulo nescitur , quantus , Deum bonum ! funis , & catena efficitur , quā captivatur miser habituatus à dæmone , domino jam suo , raptatur ad illicita , donec in barathrum pertrahatur. Adhucne miser ipse tibi compedes ultrò fabricare perges ? si difficile est hodie catenam hanc rumpere , cras erit difficilius ; quisque enim actus , ut habitum , sic emendandi auget difficultatem . Nunc sit finis turpitudinis tuæ . Arbor si diu creverit , ac radices fixerit , non evellitur facile , quæ initiō , dum virga fuit , levi manu fuisset extirpata .

5. *Facilius est mortuum ad vitam , quam habituatum ad emendationem revocare.* S. Chrysostom. Quot non iste Ascetarum consilia surdā aure excepit ; quot non media sibi præscripta enervavit ? Non quasi malum emendari non possit , sed quia blandus est hostis ; domesticus est , quem nec occidere licet , nec fovere ; nobiscum natus , nobiscum educatus nutritur quotidie ; occasio semper adest , & hæc sunt malorum illicia , ob quæ facilius est illibitam servare innocentiam , quam perditam iterum veterem in fru-

frugem revocare. Qui vel unicum suâ vitâ grave peccatum commisit, hoc sibi remissum absque Dei revelatione scire non potest; dubium enim semper manet, an bene pœnituerit? an dolorem supernaturalem elicierit? & quid miserabilius esse potest; quam hæc perpetua salutis incertitudo? quid jam de illo sentiendum, qui non uno, sed tot gravissimis se peccatis commaculavit, millesque titulis incertam suam salutem reddidit.

6. Consuetudo peccandi non servum tantum peccati, sed dæmone ipso deteriorem facit. Hic enim semel tantum lapsus est: & quoties habituatus veterem recidit in latrinam? solâ ille cogitatione deliquit; & hic cogitationibus verba, verbis opera quo acceumulat? pro illo non est Christus mortuus: nónne majorem tu pro ejus sanguinis pro te fusi pretio, ejus offensam cavendi obligacionem contraxisti? non adjutus ille suit Sacramentorum subsidiis, nec præviâ inferni pœnarum comminatione, nec ullis ultionis Divinæ exemplis à peccando deterritus est, ut tu ô homo! quæ omnia sic tuum aggravant peccatum, ut dæmone ipso miserabilorem te demonstrent. Si committendo peccatum posses fieri Deus, illud te cavere oporteret; & non renuis esse diabolô pejor, non ut regnum lucreris, sed ut spurcias tuæ satisfasias.

7. Si piis Sanctorum Patrum oraculis fidem non abroges, certum Deus, qui universorum Dominus est, in cuius manibus sortes nostræ, certum ille cuilibet peccatorum numerum definivit, ita quidem, ut si eum compleverit homo, Dei misericordiam non amplius sit consecuturus. Mensura verò ista heu quām incerta! plura uni, pauciora alteri, multis unicum statuit peccatum, quō commissō non sit locus gratiæ super. Quid ad hæc habituatus? unum peccatum satis est ad damnationem, centena quid efficient? qui vix numerare lapsus potest, quām evidens huic est periculum peccatorum sibi statutum numerum adimplendi. Cave, quod proximum te sollicitat, cave, fortè est ultimum numeri tibi constituti completivum.

AFFECTUS.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis flumina lachrymarum, ut eluam iniquitates, & turpitudines meas, pro quibus te Domine fontem bonorum omnium dereliqui, & ad perniciosissimum animæ meæ hostem diabolum me converti. Abii post desideria concupiscentiarum mearum; heu quō veni? ad atrium inferni me video constitutum. Ah! pudet in cœlum oculos tollere, pudet ad Dominum Deum meum spem erigere, cui toties rebellis, fædifragus,

gus, hostibus ejus, imò & meis, carni & dæmoni adhæsi. Respice Domine adhuc hāc vice servum nequam, & perduellem; rum-pam vincula, quibus me captivum tenebat infernus; eripiam me servituti tam duræ, in quam me sponte conjeci, anhelo ad libertatem servorum Dei, quibus jugum dulce, & onus leve. Adjuva Domine bonam voluntatem servi tui, fac: ut *non dominetur mei omnis iustitia.* Psalm. 118. Recedant vetera; obliscere Domine iniquitatum mearum; cor mundum, cor novum *crea in me Deus,* & Spiritum rectum, qui sit secundūm legem tuam, innova in visceribus meis; sic vivam ego, non jam ego, vivet verò in me Christus, vivet ejus gratia, morietur vetus homo, morietur mala consuetudo.

Habitus perdit gratiam Dei.

Noli negligere gratiam, qua in te est. 1. Ti-moth. 4.

1. **U**nicus gradus gratiæ Divinæ pretio-sior, & utilior est omnibus totius mundi thesauris; est enim naturæ Divinæ participatio; est, per quam *Filiī Dei nominamur*, & sumus; est jus ad cœlestem hæreditatem; in ejus comparatione opes, ingenium, pulchritudo, dignitates omnes nihil sunt; imò nec prophetia, nec miracula patrandi potestas; imò nec Dei maternitas abs-

absque illa æstimationem mereretur. Et hunc tu thesaurum actu brevissimō propudiosè prodigis, perdis, & annihilas, hoc est: margaritam projicis ante porcos, dum innocentiam primam ita turpiter perdis.

2. Si casu gemmā {quapiam pretiosā privareris; si lusu magnam vim pecuniae amitteres; si fur opes, ignis domos, morbus doctrinam eriperet, quantum doleres? hæc damna, si posses, quām sollicitè præcaveres? jacturam, si in tua foret potestate, quām studiosè reparares? & gratiam his omnibus incomparabiliter pretiosiorem tam facile, pro re turpi, & hoc toties, perdis, pessimas. Et ubi, nè pereat, cura, aut cautela? ubi, si amissa est, sincera pœnitudo? ubi eam recuperandi sollicitudo? Pro grosso perduto domum everris, de amissa gratia nihil commoveris.

3. Gratia est principium ac fundamentum merendi vitam æternam; hâc amissâ verè pauper, extremè miser, & miserabilis es. Cum illa simul perdis omnia merita; quidquid unquam boni fecisti, omnium illorum bonorum operum præmium, quod sperare poteras æternum, amittis, ac si nunquam quidquam boni fecisses; præterita innocencia, preces, jejunia, mortifications peccato commissò nec hilum valent apud Deum, nec teruntur tibi profund ad beatam æternitatem.

nitatem. Evigila, & nihil invenies in manibus tuis. Sed hoc fortè parùm foret; nihil pariter de aliorum meritis, sacrificiis &c. quæ per totum Orbem fiunt, quorum utilitas, si in gratia esses, in te quoque redundaret; quamdiu in peccato es, nihil participas. Plus dico, privatio gratiæ thesaurò te privat infinitò, nempè meritorum Christi participatione, ac si pro te nec passus esset Christus, nec crucifixus.

4. Ex ignorantia thesaurum hunc perdisse, foret excusabile; casu amittere, infelicitatis esset; semel eō privatum esse, fragilitati adscriberetur: ast tu tam bene conscientius malitiæ, præmeditato, post tot propria, contra actualem instinctum, toties quod eam amiseris, quam reperies excusationem? Ubi mens tua tunc, ubi consilium? nonne hoc est contemnere gratiam? ô infelix! an nescis gratiarum tibi dandarum numerum apud Deum esse in numerato, ita, ut si has perdas, iis non utendo, nullam potesta sis obtenturus efficaciam; & hoc justificam Dei pœnâ, ut qui oblatam toties gratiam tam parvi fecisti, & eam pro re nihili, momentanea pessumire sciens, volénsque non curásti, omni posthac priveris efficaci. Et quid tum tecum?

5. Gratiâ privatus in Dei conspectu tanquam vales, quantum nux casla, res nihili.

Sic

Sic dives , nobilis , magnus , doctus , Rex , aut Papa , sive gratia vilis es , imo abominabilis : imaginem Dei , ad quam creatus es , commutas cum imagine diaboli : opera tua , quae cetero quin bona essent , non valent tantum , ut apud Deum vel minimum in ordine ad vitam æternam , præmium mereantur . Et si babueris omnem fidem , ita ut montes transferas ; & si tradideris corpus , ita ut ardeas ; & si diviseras omnem substantiam tuam in pauperes ; si gratiam Dei non habeas , es vellut æs sonans , & cymbalum tinniens , nihil es . Nihil devotiunculæ alias laudatæ , sed nec Marianus quidem cultus absque Dei gratia tibi proderit ad salutem . Ut modicum fermenti totam massam , ita peccatum commissum corrumpit hæc omnia . Si averterit se justas à justitia sua , & fecerit iniquitatem , omnes justitiae ejus , quas fecerat , non recordabuntur . Ezech . 18 .

6. Quidquid omni vitâ boni fecisti , aut facies , vel facere posses , tantum non placet Deo , quantum displicet hostis gratiæ , peccatum tuum ; ad hanc displicentiam in Deo abolendam non solum tua , sed universa omnium Sanctorum , imo & Deiparæ Virginis merita sufficere non possent : imo , si Deus tot mundos crearet , quot sunt arenæ maris , & in iisdem summae sanctitatis viros collocaret , omnium illo-

rum virtutes , pœnitentiæ , imò & martyria
non tantum placerent Deo , quantum displi-
cket unicum tuum peccatum ; dico unicum ,
& quid abominationis in Deo causabunt tot ,
quot nec tu numerare potes ?

7. Non tantùm ad æternam salutem nihil
valent opera etiam ad speciem bona pecca-
toris , sed cùm privatus sit gratiâ , eum at-
tingit infelicitatis apicem , ut peccatum
unum pœna sit alterius . Infelix conditio !
corruptio optimi pessima ! unô peccatô ad-
missô quanta pronitas ad secundum , ab hoc
ad tertium , & ab hoc quàm facilis descen-
sus averni . Quanquam jam infernum homo
tal is circumferat in anima . Inter omnes quip-
pè pœnas facile princeps est : conscientia
delictorum ; nec intimiùs penetrat ulla , nec
acerbiùs vulnerat . Hic est vermis ille , qui
nunquam moritur , semper rodit , inquietat ,
pavere , & trepidare sceleratum facit . In
medio gaudii , in æstu lætitiae , & quidquid
dulcedinis solarium humanum afferre posset ,
amaritudine suâ corrumpit . Gaudio dicunt :
*Quid frustra deciperis ? Sicut si est gaudium in
hoc mundo ; hoc utique possidet puri cordis homo :*
ita si est in orbe tribulatio , hanc habituatus
experitur . Fatere , quid dissimilas t' reum
te agit conscientia , perpetuus
carnifex .

AFFECTUS.

Liberalissime Deus quanta, quāmque innumerabilia sunt beneficia! quibus cumulāsti me; me inutilem, me, quem prævidisti fore peccatorem: in Baptismo accepi innocentiam primam; ô gemmam super omnes gemmas pretiosissimam! si eam custodire voluīsem: sed ô mea fatuitas! quām citò, quām frivolè, quāmque impudenter, pudet vel meminisse, eam pessumdedi, & cum illa præstantissimum animæ thesaurum irreparabiliiter abligurivi. *Delicta juventutis mea, O ignorantias meas ne memineris Domine!* Tu tamen mei clementissimè misertus, movisti cor meum, ut facti pœniteret, ut peccatum pœnitentiâ expiarem, tu me prodigum filium iterum in gratiam recepisti, & iterum stolâ gratiæ vestivisti; quām iterum beatus! si hanc pro merito æstimâsssem: sed, quis crederet tantam ignaviam, imò impudentiam! iterum thesauri mihi crediti incurius, eum pro porcorum siliquis, quoties? tu scis Domine! in opprobrium tuum, dæmoni vendidi. O fatuitatem meam mille supplicis dignissimam! agnosco, & utinam te iargiente sincerius agnoscam, & defleam stultitiam meam: tu tamen Domine, Pater misericordiarum cùm sis, vide miseriam meam, & innumeris, quas haec tenus dedisti, gra-

tiis unam adde, gratiam constantiae; ut, quod nunc statuo, id servem inviolabiliter, me reaque de me dici: *Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit.*

Habitus pravus Cœlum perdit.

Nihil coinquatum intrabit in regnum Cœlorum. Apoc. 4.

1. **V**ide, ô homo! quam bonus, quam beneficus in te sit Deus! cum nihil es-
ses, infinitis aliis, quos præ te creare po-
rat, neglectis te creavit, & ideo, *ut salvus
fias*; te haec tenus inter tot pericula incolu-
mem conservavit, & etiamnum servat, *ut
salvus fias*; propter te homo factus, & mor-
te, heu! tam acerbâ mortuus est, *ut tu sal-
vus fias*; ditavit te animæ donis, præclaris
naturæ talentis, salvificam fidem, dona tot
supernaturalia, educationem piam, insti-
tus optimos tibi dedit, *ut salvus fias*; orna-
vit te honestis natalibus, sano corpore, in-
tegris sensibus, *ut salvus fias*; pro hæredita-
te Pater optimus tibi Cœlum constituit, da-
re ille paratior, quam tu accipere, & tu ta-
men non modò ingratus, & injurius, sed Deo
rebellis Cœlum negligis, cum gliribus terræ
adhæres, & cum bestiis voluptate corporis,
Cœli loco delectoris.

2. Erige mentem ô homo! ad Cœlum co-
gitationes, & desideria tua extolle, quid est

Cœlum? est omnis boni possessio; sinè morte vita, sinè dolore ullo voluptas; sanitas sinè morbo; quies absque tædio; thesaurus sinè periculo; honor absque æmulatione. Quid est Cœlum? est omnium desideriorum perfectissima satietas; ubi, quidquid est boni, aderit: aberit, quidquid est mali. Cœlum est æterna cum Angelis, & Sanctis, ac dulcissima Virgine Maria conversatio; est Dei, hoc est boni infiniti, & immensi fructio; Cœlum est dulcedo, cujus si vel una stillula in orcum decideret, infernum totum dulcoraret, omnésque ejus pœnas aboleret. O quam delicta tabernacula tua Domine concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Psal. 83. Sed heu! frustra concupiscis, qui peccati confuetudine teneris; jus ad Cœlum amisisti; fædatus es; nihil autem coinquatum intrahit in regnum cœlorum.

3. Ad Cœlum multi vocati, pauci electi. Creati sunt omnes homines, ut tandem salvi fiant; sed ad fidem, inquit Greg. plures veniunt, ad cœlestis Regnum pauci perducuntur. Et cur hoc? nisi quia totus mundus in maligno, id est, malo igne concupiscentiae positus est. Hic pestifer ignis cœlum evacuat. Quam diu in vitæ innocentiae, & Dei gratia perseveras, Cœlum tibi est hæreditas; sed ubi peccato consensisti, jus ad illud Omne resignasti. Si pro aquæ haustu regnum

perdidisse ; pro coctione rufa vendidisse primogenituram amentiæ fuit , quæ , & qualis erit : pro momentanea voluptatula Cœlum , & Cœlum æternum amisisse ?

4. Quoties peccas , Cœlo toties valedicis . *Quis ascendet in montem Domini ? aut quis Habit in loco sancto ejus ? innocens manibus , & mundō corde.* Psal. 23. Qui manibus innocens non est ; purum à turpibus desideriis cor , mundum à fœdis colloquiis linguam non habet , sedem in loco sancto non speret , nihil eò coinquinatum intrabit . Huc si aspiras , noto tibi vitio valedicendum erit ; illud est , quod innumeris Cœlum eripuit ; est via lata , & spatioſa , quæ dicit ad perditionem ; refermaturè pedem , aliàs perivisti ; cœlum ! omne bonum ! & propter quid ? amisisti ; quoniam prædico vobis , sicut prædixi , quoniam qui talia agunt , regnum Dei non consequentur . Eccl. 5. 51.

5. Cœlum vim patitur , otiosis non patet . Omnes ad Cœlum invitat Deus , Cœlum tamen nulli donabit ; venale illud constituit . *Contendite intrare per angustum portam.* Lucæ 13. Vim patitur ; nisi vim concupiscentiis , vim naturæ ad malum inclinatæ , vim consuetudini inolitæ , vim tentationibus , & occasionibus ad peccatum invitantibus , vim oculis , vim manibus , & linguæ inferas , Cœlum non obtinebis . Vi-

de Sanctis in Cœlis, & quære, quemodo illud sint meriti ? considera Eremitarum austeritatem, jejunia, mortificationes, soliditudinem, orationes ; considera Martyrum cruces, gladios, rotas, sanguinis effusionem ; ipsum Sanctorum caput Christum considera, nonne oportuit eum pati, & tanta pati, *& sic intrare in gloriam suam.* Et tu peccando, carni, & sanguini indulgendo, tuis satisfaciendo cupiditatibus, Cœlum sperabis ? falleris, & toto Cœlo falleris ; nemo duplex & in hac, & in altera vita Cœlum speret.

6. Cœlum aspice, cuius aspectu delectati sunt Sancti, & dixerunt cum S. Ignatio. *Quām sordet mihi terra, dum Cœlum aspicio,* quia illud tanquam Patriam suam, quō tendebant, intuebantur. Canunt innocentes Aloysii in agone : *ad Cœlum ! ad Cœlum !* quia scopus, quō collimabant, proximus est. Quid tu peccator, audēsne oculos in Cœlum tollere ? si audes ; vides ibi judicem, qui tua peccata judicabit, & quis hinc timor ? vides beatorum gloriam, sed quam nunquam possidebis ; & quis hinc dolor ? scriptum enim est, & adamantinâ lege scriptum : *molles Regnum Dei non possidebunt.* 1. Cor. 6. Licet homo pretiō, & æstimabilitate superet omnes thesauros mundi, tamen longè pretiosior est Angelus, & hic tamen ob peccatum solā

cogitatione, semel tantum commissum Cœlum amisit; quid tu miser terræ vermiculus, Cœlum speres? quod non cogitatione tantum, sed verbō, & opere, toties amisisti. Peccare, & tamen Cœlum sperare, insania est.

7. Peculiaris in Cœlo laureola Virginitatis est; gaudium singulare, sequentur Agnum, quocunque ierit; prærogativa planè specialis; sicut differt stella à stella in claritate, sic Virgines, & casti ab aliis sanctis decore in Cœlo distinguuntur. Prærogativam hanc, velut sur thesauros, peccatum surripit, damnō prorsus irreparabili. Dolere potes, pœnitere potes, imò peccatum delere, ac enendare potes; peccatō tamen contra puritatem semel admissō, Virginitatem reparare non potes. O Virginitas dōs Angelica! quantus thesaurus es! quam tamen pauci pro merito te æstimant, quam negligenter custodiunt. Quid tu, qui hæc legis, de te judicas? si Virginitate flores, Angelus es: Custodi coronam tuam; si eam amisisti, quantum potes redintegra, & per secundam post naufragium tabulam repara innocentiam, & secundam minimum Virginitatem tuere.

A F F E C T U S.

DEUS infinitæ bonitatis, & immensæ largitatis, qui me ad imaginem, & similitudi-

lititudinem tuam tuâ bonitate conditum ad Cœlum destinâsti , & ad hoc obtainendum tot naturalia , & supernaturalia media sapientissimè contulisti ; te ego innumeris titulis laudare , te toto corde amare , tibi viribus omnibus servire debuisssem : & ecce temeritatem meam ! Cœlum , ad quod à te destinatus sum , ubi torrente voluptatis potabis Electos tuos , neglexi , & fodi mihi cisternas , fœculentas voluptates sitivi , & sic jus ad Cœlum omne amisi . Pudet , sed & toto corde pœnitet . Utinam nunquam à fine per te mihi præfixo deviâssem ! ô quam serò te cognosco pulchritudo , & bonitas tam antiqua ! Vilescant mihi jam omnia in terris , ut ea quondam obtainere merear , quæ te amantibus præparâsti in Cœlis . Eò aspiret cor meum , ubi vera delectatio , & plena satietas . Satiabor , cùm apparuerit gloria tua Domine !

Habitus peccandi DEUM perdit.

Similiter odio sunt Deo impius, & impietas ejus,
Sap. 14. 9.

I. **T**ota rationalis animæ beatitudo Deus est. Hoc habitô verè felix , & inestimabili thesauro dives ; hoc amissô miser , & mortalium omnium infelicissimus. Dei fruitio æterna Beatorum satietas est , & perpetuae voluptatis torrens. Et hac voluptate ,

te, hoc thesauro quivis actus peccaminosus,
omne iniquum desiderium te privat. *Longe*
est Dominus ab impiis. Prov. 15. Vide, quid
agas, dum peccatum admittis, Deum ex-
cludis, diabolo thronum exhibes. *Non per-*
manebit Spiritus meus in homine in aeternum,
quia caro est. Gen. 6. Ubi mens tua, ubi
confilium! tam dulci, tam sincerô, infi-
nitô, & immensô bonô te privas, ut tur-
pi, imaginariô, momentaneô, sordidô bo-
nô fruaris? si *beati mundô corde, quoniam ipsi*
Deum videbunt. Matth. 5. Protectò infau-
sti immundô corde, quia ipsi Deum non vi-
debunt.

2. *Copiosa fuit redemptio nostra.* Unica san-
guinis gutta, quam pro nobis Christus fudit,
pro mille Orbium, & infinitorum peccato-
rum redemptione sufficere potuisset; & ta-
men unica turpitudo peccaminosa sponte ad-
missa ita omnem omnium Christi meritorum
vim enervat, ut illa tibi, quamdiu his in for-
dibus hæres, adeò parum proficiant ad sa-
lutem, aci nec passus unquam, nec mortuus
pro te Christus fuisset. Imò, quod horren-
dum cogitatu, verissimum tamen est: non
modò nihil prodest peccatori Christi passio
ad salutem, sed illa ipsa graviorem ei po-
nam, & acerbiorem damnationem procura-
bit; eritque Christus, qui venerat Salvator,
illi positus in ruinam.

3. Aspi-

3. Afpice Christi vulnera , manantem vi-
de sanguinem ; infiniti pretii sunt : & illa tu
renovas , & istum conculcas , quoties à Deo
ad peccatum ; ab illius præceptis ad notas
tibi cupiditates te convertis . Imò stupete
Cœli super hoc , & Angeli Pacis amarè flete !
quoties sceleri manum admoves , toties eâ-
dem Christum iterum , quantum in te est ,
crucifi is . Ah peccator miserere JEsu pro-
te Crucifixi ! satis ille profudit sanguinis , sa-
tis flagellorum sustinuit ; spinarum satis tu-
lit , & sannarum ; parce , parce accumulare
sceleribus tuis flagella , elicere sanguinem ,
mortem illi geminare . Homicidium fugis ;
parricidium horres ; & cur Christicidium to-
ties repetere non formidas , quoties vel oc-
casio invitat , vel sollicitat tentatio ? San-
guis Christi plus , quam sanguis Abel , cla-
mabit contra te in Cœlum ; petet contra te
vindictam , ut qui eo uti noluisti ab salutem ,
tibi sit in damnationem .

4. Quis non insanum populi Judaici furo-
rem damnet , quòd Christum Barrabæ poft-
ponere ausus , hunc dimitti , illum verò cruci-
figi postulaverit : & quid tu agis Christiane ,
dum hinc tibi sensualē natura delestatio-
nem , inde gratia Dei cupiditatis victoriam
fuadet ? si naturam sequeris , obedis confue-
tudini , heu me ! imò heu te ! nunquid Chri-
stum Barrabæ poftposuisti ; confuetudinem

tuam vivere , Christum denuò mori , & crucifi-
cifici statuisti . Nec hic tua sìstit impietas ,
toties Christum non jam Barrabæ , sed dæ-
moni postponis , quoties rejectis illius infin-
etibus hujus tentationi consentis .

5. Mensura malitiæ peccati Deus est ,
Nemo peccatum satis aestimat , nisi Deus ,
quia nemo satis scit , quid Deus sit . Vis
scire , quām malum sit peccatum ? vide , quām
bonus Deus est . Infinitum , inexhaustum ,
immensum bonum Deus est ; bonum super
omnia bona ; propter quem solum , & ex
quo solo alia esse possunt bona : mensura
jam hac decempedâ , & agnosce , quām hor-
rendum , & inexplicabile malum peccatum
sit ; malum malorum pessimum : imò hoc
solum est malum , quod Deum offendit ,
& quantum in se est , annibilat . Dum enim
Dei legem prævaricatur peccator , vellet
eum esse cæcum , ut non videat ; ignarum ,
ut non sciat ; imbellem , ut punire non possit ;
Deum vellet non esse Deum , dum novos
sibi Deos constituit : *Unusquisque quod cupit.*
boc illi Deus est ; quoteunque peccata , tot re-
gentes habemus Deos. Hier . Quām turpe
tu , & abominabilem Deum colis ? consule
affactus , & desideria tua .

6. Et quis es tu , qui hæc audes ? vilis ho-
muncio , terræ vermiculus , pulvis , & cinis ;
cujus corpus vas est spurciâ plenum , brevi
in

in cadaver, in escam vermium, in putredinem resolvendum; tu ex nihilo condite, ad nihilum valens, nisi ut conculceris: & tu in Deum, id est, in Creatorem tuum, Redemptorem tuum, tuum Sanctificatorem, Dominum tuum, Benefactorem continuum insurgere, illi insultare, omnipotentiam irritare, contemnere bonitatem non vereris? & hoc propter quid? ob momentum ob abominationem. Et quis hoc credat fieri posse factum tamen toties est, quoties noto tibi peccato indulxisti. Sed vae! longa Dei tuam emendationem expectantis patientia vertetur in furorem, & senties, *quoniam malum Samarum sit reliquisse te Dominum Deum tuum.* Jer. 2. 9.

7. Si *Benedictio Domini super caput justi;* quid expectet peccator, nisi maledictionem? Nihil jam miror, quod in suis intentionibus tam parum proficiant habituati. ut ferè omnia iis sinistrè accident. *Odio nempe sunt Deo impius, & impietas ejus,* & odium hoc ut essentiale Deo, ita infinitum, & unicum est, quod peccatum omne, & si pœnas attendas, nullum foedâ voluptatis consuetudine magis abominatur. Nōsti tu ipse, si meminisse velis, huic vitio addictorum miserè pereuntium exempla; cogita Sodomam igne de cœlo lapso conflagrantem; mundum ipsum, quia immundus erat, diluvio

Iuvio expiatum cogita , & facile fateberis ,
 quod SS. Patres annotâcunt , nempe quòd
 contra unum hoc vitium plura Deus vibrâ-
 rit fulmina , quàm in cætera omnia simul col-
 lecta . Cave , differt , non aufert tibi pœnam
 Deus , quin multiplicata per consuetudinem
 peccata , multiplicatas justissimi vindicis pœ-
 nas post se trahent ; puniet hic , puniet ibi .

A F F E C T U S .

BEnignissime Deus ! cuius Majestatem
 velantes faciem suam adorant Angeli ;
 bonitatem amant incessanter beati ; poten-
 tiā diaboli verentur ; & ego Creatura tua
 vilissima , ego cadaver putidissimum , ulce-
 re , & sanie dimanans tuam Majestatem of-
 fendere . irritate bonitatem , omnipotenti-
 am injuriâ afficere non formidavi ? *malum*
 Domine *coram te feci* , sed parce audaciæ ,
 parce temeritati meæ : Tu me mille infernos
 meritissimum , non modò benignissimè susti-
 nuisti , sed innumeris insuper naturæ , ac gra-
 tiæ donis cumulare non cessâsti . Non sum
 dignus , ultrò fateor , non sum dignus ullo
 favore ; non sum dignus , ut me terra ferat ,
 aut sol aspiciat . Agnosco in me , quòd *non*
vis mortem peccatoris , sed ut convertatur , &
vivat . Vivam proinde longè alias , quàm
 hactenus , convertar ad te Dominum Deum
 meum , quem si offendero amplius , deleatur
 nomen meum de numero Electorum .

Habitus Mentis cæcitatem , & despe- rationem inducit.

*Peccator , cùm in profundum venerit , contem-
net. Prov. 18. 8.*

1. **H**ostis animæ nostræ diabolus , qui tan-
quam *Leo rugiens circuit quærens* ,
quem devoret , uno peccato , quod à te im-
petravit , contentus non est ; obtentô semel
digitô brachium arripit , quô prehensô to-
tum corpus , & post hoc etiam animam suæ
subjicit potestati . Cognata sunt vitia , ex
uno nascuntur alia ; peccati poena peccatum
est , sequens antecedentis . Postquam enim
peccatô amissa est gratia , quid magis pro-
num , quam ut & natura depravata invale-
scat , & consuetudo potentius trahat , & fra-
gilitas facilius consentiat ; maximè cùm per
peccatum hinc quidem extraordinariis Dei
auxiliis se indignum reddiderit habituatus ;
inde diaboli se potestati pro libitu versan-
dum sponte subdiderit . Unde fit , ut hau-
riat iniquitatem sicut aquam , faterique co-
gatur de iniquitatibus suis : *Multiplicatae sunt
super capillos capitis mei.* Psal. 39.

2. Non frustra cæcus Cupido pingitur ,
Hoc enim vitium , quod maximè cum bru-
tis homini commune est , hominem maxi-
mè brutalem facit ; intellectum , quod à be-
stiiis distingui deberet , excæcat : hinc nec
æter-

æterna pro merito aestimat; nec animæ sua pericula, heu nimium certa, & aperta! videt, nec rerum cœlestium cogitatione delectatur; ad supernaturalia, tanquam bubo ad solis aspectum, caligat. Nec minor voluntatem subit pernicies, dum ea per tot actus in malum obstinata super lapidem induratur: hinc nullam in precibus teneritudinem, nullam ad pia monita animi affectionem sentit, non illam mortis ubique infidianis certitudo, non supremi Judicis tribunal à peccando deterret. Denique non est prior ad Atheismum via, quām libidinis consuetudo. Sed vae! nam: *Cor durum male habebit in novissimo.* Eccl. 3.

3. Per hos tandem gradus eò infelicitatis delabitur habituatus, ut recognitâ patratorum à se peccatorum multitudine, & enormitate in desperationem cadat, & sicut emendari se non posse credit, ita nec conetur. Hinc auditæ sunt aliquando infelices illæ voces: actum est de me! impossibilis mihi est emendatio: probavi toties, toties tamen relapsus frustra labore: si apertum ante me infernum viderem, abstinere à noto mihi vitio non possem. O infelicitas verè infelicissima! pestis sine remedio! & malorum omnium abyssus! Et quis te huc præcipitavit? nisi maledicta consuetudo. Ita nempe fit: incendium, postquam te-

stum

dum omne corripuit, extingui non potest; quod in scintilla levi manu sopiri potuisset. Principiis obsta, nec ipse tibi peccata peccatis cumulando tam exitiales funes necesse.

4. Ordinaria dæmonis perversitas est, ut, dum ad peccandum allicere tentat, criminis fæditatem minuat, excuset gravitatem, pericula tegat, & dissimulet: at postquam ad illud induxit, tum enim verò arguit impietatem nostram, exprobrat erga Deum ingritudinem, pœnas peccatis promeritas in memoriam revocat; ut sic ademptâ spe impœnitentiam persuadeat, inducat ad desperationem, sicutque ad omnia scelera portam aperiat, ut, *qui in fôrdibus est, fôrdescat adhuc.* Apoc. 22. Et hi malorum gradus sunt, quibus itur ad interitum. In quo tu consistis? heu fuge! hodie adhuc pedem refer à viis his pessimis, cave vel in crastinum differre; nè deseraris à Deo, & audi as: *curavimus Babylonem, & non est curata, venite, derelinquamus eam.* Jer. 45. 9.

5. Differendo crescit malum, crescit periculum, imò pereundi crescit certitudo; ex frequentatis quippè actibus adeò tenax nascitur habitus, qui ad assuetum semel malum non tam inclinat, quam præcipitem agit: ut nec pyrium pulverem scintilla citius in flamas, quam admissæ toties voluptatis memoria in nova flagitia incautum abri-

abripiat , & eoisque captivum teneat , do-
nec infelicissimâ sorte de illo verilicetur ; In
peccato suo morientur. Ezech. 20. Desertus
námque à Deo , & diaboli potestati permis-
sus durissimam hujus tyrannidem semper qui-
dem , in agone tamen maximè experitur.
Sciens , quia modicum ei tempus supereft,
fatagit quām maximè , ut in ultimo animæ à
corpore separationis momento ad pecca-
tum , si non opere , certè cogitatione ad-
mittendum inducat , sīcque ex hac mentis
cæcitate , quam ultrò sibi consciuit , ad æter-
nas tenebras dēducat.

6. Omnia sollicitudinum prima , & ma-
xima esse debet , ut gratiam finalem conse-
quaris ; sinè qua quid bonorum operum co-
pia , quid preces , eleemosynæ , percepta
toties Sacra menta prodeffent ? hæc omnia
liberare ab interitu non possent . Gratia
verò hæc est adeò gratis data , ut non cadat
sub nostrum meritum de condigno ; Et quid
sibi spei facere potest habituatus i quid ejus
opera merebuntur , quæ plerique in statu
peccati gravis fecit , dum à pravæ consue-
tudinis principio potiorem ætatis partem
absque Dei gratia transegit , & vel ideo nec
ex aliorum bonis operibus , aut sacrificiis ,
quæ toto Orbe facta sunt , utilitatem sperare
potest , quam tamen accepisset maximam ,
si in Dei gratia perseverasset . Videt hic ,
quis

quisquis non cœcutit, quām exiguām gratiæ finalis spem habituatus sibi facere possit.

7. Sola superest, ut naufrago anchora, ita habituato Dei misericordia, in qua sperare fortè posset, cùm *misericordia ejus super omnia opera ejus*, nisi hac ipsâ Dei misericordiâ turpissimè abusus eâ se indignum, & fortè capacem reddidisset. Ea quippè consuetudinis perversissimæ vis in eo, & potestas fuit, ut eam hæc ipsa cogitatio proniorem ad flagitia fecerit, quòd, esto nunc peccet, confiteri tamen possit; infinitam esse Dei misericordiam; sæpius jam dedisse veniam; notam illi esse hominis fragilitatem; quæ ipsa temeritatem, & numerum auxerunt cogitanti: Tamen simul possim confiteri; æquè facile dicam ter, aut quater, &c. quām semel me cecidisse. Ex hæc illa in spiritum sanctum peccata sunt, quæ quia contra Dei bonitatem pugnant, ab ejus bonitate nos excludunt. Quid hic spei? tantum nempe, quantum æger habet, cui medicina, quâ solâ sanari poterat, vertitur in venenum.

AFFECTUS.

DEUS! cujus bonitatis non est terminus, & misericordiæ infinitus est thesaurus! habes coram te prostratum miserum, & infelicem, qui miserations tuas multas, & magnas cum gemitu supplicat, & expectat, finè

finè quibus nec spes libertatis illi supereft ul-
la , nec salutis . Perii , nisi tu Deus me ad-
juves ; *tempeſtas demerſit me* , nulla amplius
tabula supereft ; exere Domine potentiam
tuam , & miserè naufragantem in fortitudine
brachii tui certis his periculis eripe . Non
mereor , fatis feio , utinam & fatis doleam !
non mereor misericordiam , cui toties illufi ;
sed tuam bonitatem Pater æterne , vulnera
tua Christe Redemptor aspice , & secundum
magnam misericordiam tuam , O secundum
multitudinem miserationum tuarum , dele ini-
quitatem meam , meam dico , cui tam diu
amens inhæſi , ſic ſpero , ſic propono , gratia
tuâ Deus imbecillitatem meam adjuvante ,
vivam novus homo .

Medicina præservativa post per- actam devotionem.

*Ecce jam sanus factus es , valde , noli amplius
peccare ; nè deterius tibi aliquid contingat .*
Joan 5. 14.

Atri , qui recidivam patiuntur , longè
periculofius ſunt constituti , quàm pri-
mā ægritudine fuerint . Idem accidit in mor-
bis animæ ; peccatum enim novum , quod
post obtentam à Deo prioris remiſſionem
committitur , ob hanc ingratitudinem mul-
tò majus eſt priori , & certius iram DEI
provocat ; cùm non tam ex fragilitate ,
quàm

quam temeritate committi videatur. Si Deus animam ex inferno liberaret, & ab hac iterum graviter offenderetur; nonne justissimam vindictam contra illam sumendam causam haberet? talis est omnis, cui Deus peccatum grave remisit; tantundem enim eidem praestitit in effectu, quam si eum ab inferno, quem promeritus erat, liberasset. Imo sic parcendo majus ei contulit beneficium, quod, cum meritus sit, eum neandum puniverit, quam si post poenam inflictam hanc ei rursus remisisset.

Vive proinde, sicut anima ex inferno liberata viveret: quam illa sollicitè sensus custodiret; quam accuratè mali occasiones sugeret; ne in priorem calamitosissimum statum perveniret: quam tenerè amaret Deum Liberatorem suum; quam ejus mandatis fideliter obsequeretur. Idem tibi cense faciendum esse; alias, qui pepercit tibi nunc, gravius deinde feriet, præterita cum futuro puniturus

Nihil facilius, quam recidivam pati. Attentione proinde magnâ opus est. Per hoc, quod nunc per Dei gratiam poenitueris, & meliorem vitam ducere proposueris, noli credere mortuum esse diabolum, aut tentandi vires amisisse; licet quiescat nunc, & cum vulpecula dormire videatur, repente exurget, urgebit ad vetera; nec tam facile

præ-

prædam faucibus suis elabi patietur. Sed nec in te per hanc pœnitentiam peccati formes extinctus est; vivit adhuc concupiscentia; gliscit ignis occultus veteris consuetudinis. Ideò tu tibi suspectus esto; te ipsum timere; qui stat, videat, nè iterum cadat. *Noli vulnerari post curam; noli sordidari post gratiam.* S. Chrysostom. Nôsti fragilitatem tuam, eam proinde sequentibus mediis præmuni.

1. Optarem monitum SS. Ignatii, & Xaverii à te in usum dēduci. Ille ut Xaverium adhuc Juvenem à vanitate ad sanctitatem adduceret, identidem illi suggerebat: Xaveri! sæpè sæpiissimè cogita: quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur: Xaverius pariter jam usu suō doctus Joanni tertio Lusitaniae Regi suadebat: si salvus esse vellet, quotidie quadrantem impenderet dicti hujus considerationi: *Quid prodest homini, &c.* Idem tibi persuasum cuperem; nempe ut indies quadrantem dares (hoc multum nemini videri potest) rerum cœlestium ad animam pertinentium meditatio- ni, cui si quadrantem alterum pii libelli pensiculatæ lectioni adjunixeris, fructum te opinione tuâ majorem laturum polliceor.

2. Frequentà quam sæpiissimè, idque de votione præcipuâ, sanctissima Confessionis, & Com-

& Communionis Sacra menta ? numerum non definio, sed eum occupationes, status, & Confessarius optimè constituent; in Confessione sacra etiam minutiora circa notam tibi materiam humiliter detege, ac errata, si quæ in eadem materia commisisti, ante alia omnia confitere.

3. Si, quòd Deus avertat? graviùs te fortè labi contingeret, statim eādem adhuc die, stabili tuo Confessario confitere. Sicutò virus evomas, minùs nocebit. Et hoc efficacius reliquis remedium crede: Si ferre am ipse tibi legem statueris, post peccatum fortè commissum, intra viginti quatuor horas proximas infallibiliter, post positis omnibus excusationibus, & quidem Ordinario tuo Confessario confitendi; quæ res ut non levem habet difficultatem, ita fructum etiam non exiguum feret, ut experti testari possunt.

4. Fuge priores malè agendi, loquendi, conversandi occasiones; nisi enim locum, aut socios pestiferos fugias, frustra laborâsti, inficieris iterum. Titio, qui semel arsit, ad ignem facile reaccenditur.

5. Si quos malæ vitæ complices habuisti, conare illis pariter emendationem seriam, & poenitentiam persuadere; sic multum Deo satisfacies; si te non audierint, quære alia media, quibus eos ad emendationem deducere possis.

6. Si quem seduxisti , & verbō, aut exemplō scandalizāsti , sicutque Dux illi, aut suasor ad peccatum fuisti ; teneris cooperari , ut emendetur ; aliás pro illius anima Deo debebis dare rationem. Si teneris indemnem reddere , cui grave in temporalibus damnum intulisti , quantò magis gravius damnum farcire , quantum potes , obligaberis.

7. Præfige tibi certum posthac vivendi modum ; felige , quas constanter orare velis preces ; particularia quædam conscribe proposita ; institue actionum tuarum diarium ; quæ omnia cum animæ tuæ Arbitro conferre poteris.

8. Aliquas corporis , & sensualitatis mortificationes , statui tuo convenientes , tibi fac familiares. Sic pro peccato propter corpus commisso corpus satistaciet , & graviores simul tentationes impedies , ac dominum puritatis certius à Deo obtinebis. Melius est , ut queratur corpus , quam ut anima periclitetur.

9. Jejunium per intervalla assumptum , & abstinentia tibi præ reliquis utilis foret, ut materiam notis ignibus substraheres : Si hæc tamen aut difficultia nimium , aut statui tuo minus accommoda forent , temperantiam tibi crede summè necessariam esse. Multos habituatos proposita vini abstinentia emendavit,

10. Occupationes plurimæ, & labor continuus, mens utilibus rebus semper affixa sunt utilissimum emendationis medium; laboriosus enim ab uno, idque vix semel, dæmone tentatur; ubi otiosus à centum dæmonibus, mille temptationibus infestatur.

11. Quotidie conscientiam maximè circa hanc materiam, ejusque occasiones, & pericula, diligenter examina; si quid erratum, sincerè dole, ac efficaciter propone.

12. Sæpius per diem, signatè tamen manè dum evigilas, sub Elevatione in Missa, & vespere dum decumbis, renova propositum moriendi potius, quam in familiare peccatum relabendi. Pro qua gratia ora aliquid ad Crucifixum, Beatam Virginem, & Sanctos Patronos.

13. Affuesce frequentibus Contritionis actibus eliciendis; ita tamen, ut priora peccata in particulari quoad locum, modum, aut alias circumstantias non recogites; hoc enim non vacaret periculò, sed in communi dole de omnibus totius vitæ peccatis, eaque omnia in communi detesteris.

14. Vitam age coram Deo humilem, tanquam maleficus è patibulo lapsus; imò quod gravius est, & infamius, tanquam ex inferno reductus.

15. Quantò pejor vixisti priùs, conare nanc tanto melior vivere; ut injurias Deo

illatas benefactis compenses. Quidquid egeris , minus quidem justo ages , Deo tamen satisfacies , & placebis.

Vana spes in dilatione emendationis.

Ne glorieris in crastinum , ignorans quid superventura pariat dies. Prov. 27. 1.

Infernalis auceps diabolus quotquot annas semel illaqueavit, omnes conatur in corvos commutare ; dum singulis emendationis , & veræ pœnitentiæ dilationem suadet : hinc tam frequentes illæ voces : cras , cras ; & crastinô adveniente iterum in crastinum differtur executio , & sic perpetua manet velleitas , ex qua certa sequatur animæ pernicies.

Quis enim tibi crastinum promisit ; quot non millia hominum hodie adhuc morientur , nunquid & tu potes esse inter illos ? quid si Stulte bac nocte repetent animam tuam à te ? quid tibi tum proderit dilatio ; frustra ibi pertuntur induciae usque inanè , dum momentum adest , in quo clauduntur omnia. Quid amensius magis , quam salutem tuam fundare in incerto. Sera nimis vita est crastina ; vive hodie.

Differre nolentis est. Certè qui morbæ fatali laboraret , & hodie malo finem posse posset , minimè differret in crastinum.

Scili-

Scilicet minoris animæ, quām corporis vitam facimus; pustulam sentimus in corpore, illico non una quæritur medicina: moritur peccatō lethali anima, & malum non sentimus, medelam differimus.

Heu! quantum nocuit differre: si sopris-
ses hodie scintillam, cras incendium non de-
popularetur tecta. Habent hoc morbi maxi-
mè periculosi, ut, si non statim adhibetur
remedium, evadant incurabiles. O quot in
spirituali Xenodochio jacent, putrescunt in-
curabiles, quia emendationem distulerunt!

Dilatione crescit malum, & cum fluminib-
us vires aquirit eundo; si differtur emen-
datio, contrahitur habitus, nascitur con-
suetudo, & huic quām ægrè contraveniri
possit, experientia satis loquitur.

Si differs emendationem, Deum non
amas; peccatum non odisti: si eum amares,
nolles ejus offensam perseverare, statim ini-
tes amicitiam, si hoc odisses, colubrum hunc
finu tam diu non foveres.

Si sapis, quomodo animæ expiationem
differre possis, per quod es mancipium dia-
boli, inimicus Dei, victima inferni, abo-
minatio Cœli? cum quo cares omnibus me-
ritis tam fidelium, quām propriis.

Quod tibi hodie est difficile confiteri, cras
non erit facilius; dæmon, qui hodie retrahit,
cras non minus facit; verecundia, quæ

hodie impedit, cras pariter redibit; si vires, hos sinceræ pœnitentiae hostes superandi cras speras, cur eas nunc non exeris? ostende, quid possis. Alexander nihil differendo in crastinum, quod hodie præstare poterat, fas est Magnus; tu non differendo emanationem fies magnus è peccatore sanctus.

Ne tardes proinde converti ad Dominum; hodie cùm vocem ejus audias intùs loquenter, noli obdurare cor tuum. Ipsâ celeritate potiorem gratiam promereberis. Qui citò dat, bis dat. Duplici dignus prœmiò uno quidem ob victoriam sui, ob facti celeritatem altero.

Quid moratis? Dominus te hortatur; instat Angelus Gustos; urget conscientia; æternitas expectat. Resolve te; in manibus tuis sortes tuæ. Distulisse pœnitentiam poterit pœnitere, fecisse eam nunquam poterit pœnitere. Qui nunc offert veniam, offert te emendandi gratiam, si non illico arripias, se contemptum judicabit, non redditurus, nisi ut in tempore vindictæ disperdat te.

Vana Spes in certis precibus.

Orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. 2. Mach. 9.

LAUDO devotionem, quam multi collificant in certis precibus, ad quas affectu spe.

speciali feruntur, & in quarum recitatione majorem gustum, & animi satisfactionem experiuntur: quibus recitandis ut constanter insistant, non modò non obsisto, sed etiam author sum, & hortator.

Illud tamen laudare non possum, quòd sint aliqui tam creduli, ut his, vel illis precibus toties, aut toties recitatis spem salutis suæ affixam esse potent; credántque his ex ordine dictis se sinè pœnitentia non morituros, aut earum vi, & efficaciâ infallibiliter gratiam finalem obtenturos. Quâ opinione seducti, has preces absolvere contenti, alia ad salutem necessaria minùs curant: utinam non etiam multi eò stoliditatis perveniant, ut harum precum fiduciâ liberiùs, & liberaliùs peccent, confidentiùs in peccatis perseverent mortalium stultissimi.

Audiant hi, quod Christus monet: *Non omnis, qui dicit mibi: Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum; sed qui fecerit voluntatem Patris mei; qui ejus mandata observaverit.*

Si has, aut illas revelationes, & historias mihi obtendas, quibus fertur, revelatum esse: Neminem damnandum, nullum sinè Sacramentorum usu, aut in gravi peccato moritum, qui has, vel illas, toties, hoc vel illo situ preces dixerit; brevibus repono: me hic, & nunc revelationes has exami-

nare nolle ; illud tamen cordatè affirmo : plurimas, etiam quæ typis datæ circumferruntur revelationes, aniles esse fabulas, quibus non plus fidei tribuendum sit, quàm vorum crocitioni.

Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud ; & tu credas illud obtineri posse per leves aliquas precatiunculas ? quàm facile sic foret salvari. Stultè fecissent Martyres tam acerba supplicia obeundo ; frustra Anacoretæ tam rigidè jejunando ; si oratiunculis his salutem consequi potuissent. Frustra nioneret Christus ; Contendite intrare per angustam portam.

Vita immaculata , conscientia pura est unica ad cœlum via, finè qua illud nemini patebit, licet mille orationes, & eas quascunque, aut quotiescunque recitet. Quæ ipsæ, si in statu peccati gravis recitentur, quantum credis conducent ad Cœlum promerendum ? vis scire ? tantum, ac medicina corpori animâ destituto. In nunc, & salutis tuæ certitudinem in iisdem funda.

Oratio necessaria omnino est, nec omitti debet. *Orate, hortatur Christus, ut non intratis in temptationem. Scio, agnoscit, & factetur Apostolus, quod non possim esse continens nisi DEUS det, ora proinde, diligenter, & ferventer ora ; sed cur rectè illas tuas revelationes adoras ? si orare vis, potestne*

sane

sanctior esse oratione illâ, qnam Christus de-
cuit: *Pater noster, &c.* Vel illâ, quam
Angelicam nobis proponit Ecclesia? Ora,
per me licet, etiam alias, modò plus corde
ores, quàm ore; modò ità ores, ut oratio
tua Deo placeat, nec de te dicatur: *Populus
iste labiis me honorat, cor autem eorum longè est
à me, imò est contra me.*

Deus peccatores non audit; emunda priùs
conscientiam, secus enim illudes Deo, qui
eum linguâ quidem honoras, opere autem
flagellas, pœnam pro talis orationis præ-
mio citius accepturus, quàm salutem. Quid
enim aliud expectare possis ab inimico, &
quidem tali, qui, cùm tecum in gratiam re-
dire vellet, toties rejicitur?

Vana Spes Salutis in Congre- gationibus.

*Vacula est spes illorum, & labores sine fructu, &
inutilia opera eorum.* Sap. 3. 11.

Pulchrum, & plurimorum bonorum ope-
rum ferax inventum est diversarum Sod-
alitatum, & Confraternitatum sub titulo,
& patrocinio Christi, vel B. Virginis, vel
aliorum Sanctorum erectio. Sed quia nihil
est tam sanctum, unde diabolus non suum
velit pariter fructum decerpere, & etiam ex
pinnaculo templi vult hominem præcipitare:
Sic etiam Sodalitates, quæ inventæ sunt in

ædificationem, vertit in ruinam animarum. Dum illis persuadet, quod huic, illive Archiconfraternitati inscripti damnari non possint; quod auditò multi in perniciem suam abutuntur, cupiditatibus fræna laxant, genio indulgent, liberè peccare pergunt; confisi se, cum Sodalitati nomen dederint, damnari non posse.

Gravissimus hic sanè error est, apertissima fraus diaboli! nam, ut me in revelationes illas examinandas non immittam, quibus persuadentur hujus v. g. Congregationis Fratres, aut Sorores, in peccato mori, aut damnari non posse: illud fide certum est, nec Congregationem, nec ulla illius opera quidquam illi prodeesse ad salutem, qui in peccato est; gestet chordas, lora, funes, scapularia, rosaria, quotquot volet, cum his omnibus damnabitur, si peccatis assuetus non egerit pœnitentiam.

Indulgentias, quas Sodalitatibus Pontifices valde liberaliter concesserunt, intellige concessas esse post expiationem conscientiae; nempe vivis, non mortuis Sodalitatum membris deputatae sunt.

Quomodo in peccato es, putridum es Congregationis tuæ membrum; adeoque sicut recisum humano à corpore membrum vitam ab hoc, & vigorem participare non potest, ita Sodalis gravi peccatô sordidatus fru-

fructum à Congregatione quem participabit? nisi eum, quem vitis à palmite recisa, quæ ad nihilum valet, nisi ut comburatur.

Laudo Congregationes singulas; probo earundem statuta, devotiones, & bona opera commendo, imò ut iisdem sua fideles nomina inscribant, consulo; certus, quòd hāc ratione pluriimas è cœlo gratias possunt obtinere; ita tamen, ut ante omnes alias sis Congregationi Gratiae Divinæ insertus, & in ea constanter vivas. Licet omnibus totius Orbis Congregationibus nomen dediffes, illæ omnes simul sumptæ peccatori cœlum non aperient, nisi priùs, & in tempore peccatum expiaveris.

Quanquam & illud dubium esse possit, num plūs profit, an obfit, multis nomen dare Congregationibus? si earum obligationes adimplere non conetur, vel fortè præ multitudine, & varietate nec possit. Multa promittere, pauca præstare, nescio, quem favoreni Deiparæ, aut Sanctorum mereri possit.

Sodalitates erectæ sunt ad bonorum operum exercitationem; plurimùm proinde harum pietate abutitur, qui iis nomen inse-ruisse contentus, præfidentiùs pravo in habitu perseverat; confisus, se, quia Sodalis est, non peritum. Quid si hoc etiam titulo puniendus à Deo sis, quòd, cùm per ingressum Congregationis te ad perfectiora resol-

veris, nunc pejus vivas, & Congregatio-
nem inhonores.

Congregationum institutarum finis est,
ut qui his dant nomina, præ aliis magis piè
vivant, & bono vitæ exemplo præluceant.
Vide, quām his abutitur, qui nomen inse-
rendo credit se liberiùs peccare posse, nec
tamen peritum; O infania!

Vana Spes Salutis in Absolutione Generali.

Spes impiorum peribit. Prov. 10. 18.

EAm apud multos mortalium Generalis
Absolutio in Agone dari solita obtinuit
opinionem, ut qui eam ante mortem acci-
pit, absque dubio salvus factus esse putetur:
qui verò fortè hāc non obtentā obiit, tan-
quam re ad salutem necessariā destitutus vi-
tam clausisse credatur; adeoque de ejus sa-
lute non ex vano dubitari possit. Hinc non
rarò plus de Generali Absolutione, quām
de Sacramentali suscipienda sunt solliciti.

Ridicula pietas! spes infirma! quasi verò
hæc Generalis dicta, plus virium ad peccato-
rum remissionem haberet, quām Ordinaria
Sacramentalis? nescio, ex qua Theologia hoc
desumptum sit. Sacramentalis absolutio
gratiam confert ex opere operantis; illam
Christus instituit, hæc humanum est inven-
tum; illa denique Sacmentum est, hæc pia
quædam ceremonia.

Si

Si Generalis Absolutio extra actum Sacramentalis Confessionis detur (ut passim sit) peccatori nihil prodest ad salutem ; si detur in Confessione , concomitanter cum ordinaria absolutione aliquid operatur.

Quòd alligatas habeat indulgentias à summis Ecclesiæ Pastoribus concessas , non dubito : sed hæ supponunt , non conferunt statum gratiæ ; adeòque in hac spes salutis non satis tutò collocatur. Noli decipi .

Animam certè suam periculo vult expositam , ejusque salutem non cautè curat , qui ejus incolumentem ceremonialibus , tanquam spei suæ æternæ fundamento , confidit .

Generalis Absolutio pulchras in se preces complectitur ; sed nunquid preces animam peccatō mortuam ad vitam gratiæ revocabunt ?

Quòd dicatur hæc absolutio hominem ad statum primæ innocentia reponere , fano sensu accipendum est ; eo nempe : quòd , si lucretur Indulgentias eam suscipiens , tum remissa esse censentur omnia peccata tam quoad culpam , quam quoad pœnam . Talis autem remissio Sacramentalem præsupponit Absolutionem .

Per hæc nullatenùs ulli diffusam velim Generalem Absolutionem , quin ea & petatur ante agonem , & piè suscipiatur . Sicut pariter Fidelibus omnibus piè mori aspi-

rantibus suadeo : ut Crucifixum , cui applicatae sunt Indulgentiæ Plenariæ , tenerè ac piè osculentur ; vel , ut Sodales Sanctissima JESUS , & Mariæ nomina , quorum devotæ pronunciationi pariter Plenarias Papæ Indulgencias concederunt , cum affectu pronuncient .

Hæc omnia tamen ita suadeo , ut iis Sacramentalem Confessionem præmittant , de sincera Contritione sint solliciti , séque in statum Gratiae reponant .

Illud , quod hic persequor , est , nè sceleribus assueti eadem continent , freti , virtute Absolutionis Generalis se in statum primæ innocentiae , acsi nunquam peccavissent , reponendos . Hæc enim somnia sunt animalia . Ædificant super arenam ; Fundamentum salutis , ac beatæ æternitatis quæri debet solidius , nempe quod fundatum sit in immunitate à peccato gravi .

Magna fraus est diaboli , si rudibus animabus persuadeat , salutem animæ huic , vel illi devotiunculæ affixam esse ; sic enim sæpe fit , ut simplices illi plus sint de his reculis devotionalibus solliciti , quam de iis , quæ necessitate medii ad salutem requiruntur . Tu magis solida magis sectare .

Vana Spes Salutis in Solo Cultu Mariano.

Petitis , & non accipitis ; eò quod male petatis.
Jac. 4. 3.

Una post Deum peccatorum spes , com-
muni & SS. Patrum testimoniō , & plu-
rimorum è pravo scelerum habitu conver-
forum experientiā , est M A R I A . Hæc est
Mater gratiæ , Mater misericordiæ , commu-
nis peccatorum Advocata : Imò , ubi justò
Deus in sceleratum odiō ductus ejus preces
despicit . Magnæ Matris intercessione pla-
catus iram ponit , & quem promeritis pu-
niturus erat pœnis , in gratiam recipit .

Hanc tamen benignitatem non promiscuè
peccatoribus omnibus à Matre gratiarum
Deipara exhiberi creditote , aliàs pauci dam-
narentur , sed iis , qui fragilitate peccant :
non iis , qui cultum Marianum pro pallio suæ
nequitiae obtendunt , creduntque in pecca-
tis perseverare se tutò posse , modò aliquâ
precatiunculâ indies recitatâ , similisvè ope-
ris devotionalis exercitiō ad certum arith-
meticæ numerum repetitō constanter Deipa-
ram venerentur .

Qui sic de Virgine Matre sentit , is non pie-
tatem , & benignitatem ejus commendat , sed
intimo , quo in Filium suum Unigenitum
fertur , amori injurius est ; quasi verò ita
cle-

clemens in peccatores illa sit , ut iis ad nova
committenda scelera viam aperiat.

Ista in Deiparæ bonitatem præsidentia
peccato in Spiritum Sanctum meritò com-
parari potest. Sicut qui misericordiæ DEI
confisi delinquunt , peccatum committunt ,
quod neque in hoc , neque futuro sæculo , ni-
si ægrè admodum dimittendum sit ; non se-
cùs , qui Marianâ pietate animati pœnitен-
tiam differunt , peccata liberè accumulant ,
tantùm abeunt , ut horum veniam illius inter-
cessione se obtenturos sperare possint , ut pœ-
næ potius se reos agant.

Semper commendata fuit , manebitque er-
ga Deiparam devotio ; sed solida , sed ve-
ra ; illa nempe : non quæ in extimis labiis ,
& extrinsecis ad speciem operibus , verùm
quæ in ejus virtutum , & maximè puritatis
imitatione consistit. Larva devotionis est ,
& cortex absque medulla , illam colere , &
conscientiam sceleribus fovere conspurca-
tam.

Mater illa est sine macula ; Virgo ante ,
& in , & post partum ; & credes ? quòd illos
fovebit apud Filium , qui ut turpitudines
suas continent , spei salutis (absque ulla
emendationis cura) in potenti ejus auxilio
se collocare dicunt.

Peccatores Christum , id est , Unigenitum
Mariæ Filium , peccatis suis flagellant ,
cru-

erucifigunt, & quantum in se ipsis est, an-nihilant: & horum illa iniquitatem pietate soâ, & clementiâ tuebitur, & ad majora au-denda animos addet? sic Atheus sentiat, non Christianus. Offensâ Unigeniti, Matris pa-riter petuntur viscera; non potest non Ma-tri esse injurius, qui Filium male tractat.

Nullus potest esse ingratior Mariæ cultus, quâm si assumatur in scelerum irritamentum, in pravæ consuetudinis fomentum; Mater vult esse misericordiæ, sed non erga impœ-nitentes. Non acceptat eorum veneratio-nem, qui uno genu ejus altare, altero ido-lum Veneris adorant. Quod unâ manu æ-dificant, alterâ destruunt. Omnes preces, & pietatis Officia, quæ à ferventissimis ha-ctenus Mariophilis ab orbe condito usque huc facta sunt, tantùm Deo, & B. V. non placent, quantum displicet unum tuum, ha-bituate, peccatum. Pondera jam tot re-petita, tamque gravia contra naturam, & Deum peccata; & facile videbis, quid ti-bi supersit spei in devotiunculis.

Vana Spes Salutis in Sententiis probabilibus.

Spes impii tanquam lanugo est, qua à vento tollitur. Sap. c. 15.

VAferrimus dæmon ut animam, quam se-mel illaqueavit, fortius teneat capti-vam

vam; media omnia adhibet, ut incautis persuadeat: nec diabolum adeò nigrum, ut pingitur; nec infernum adeò calidum esse, ut dicitur; id est: hoc peccatum, & consequenter ejus consuetudinem ex eo peccatorum genere esse, quæ, cum naturæ maximè propria sint, facilius à Deo veniam mereantur.

Et quia, quod libenter habemus, facilimè credimus, non ægrè dæmon apud eos, qui consuetudinem suam exuere non satis efficaciter volunt, fidem invenit; maximè, si deceptiones suas ambiguis quorundam obscurorum Doctorum sententiis, & opinibus firmari posse suggerat.

O infirma, & malesana spes! vel enim Authorēm illum non ritè intelligis, & sic te ipsum decipis: vel licet ille sic, ut tu putas, senserit, non ademit veritatem Spiritui Sancto dicenti: *Manifesta sunt autem opera carnis; quæ sunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Galat. 5. 21. &c. *Molles regnum Dei non possidebunt.* 1. ad Cor.

Deus non judicabit te secundū illius laxi Doctoris sententiam: sed secundū leges æternæ veritatis. Quid tibi tum prodierit illius authoritas! ille pro te Deo non respondebit. Recipies unusquisque, prout gessis

gescit in suo corpore; non prout alter dixit,
aut scripsit.

Quod gravius possit esse negotium, quam
salutis, adeoque quid est, quod magis in
tuto, certissimoque collocandum? quomo-
do itaque probabilitati alicui tenui, vel for-
tè nulli adhærebis, & in ea æternam animæ
salutem fundabis? sed hoc est latibula quæ-
rere ad excusandas excusationes in pecca-
tis.

Si credis uni, alterive authori genio tuo, &
cupiditati magis faventi, cur fidem dero-
gas centenis aliis optimæ notæ Doctoribus,
peccati hujus gravitatem tam clarè, & indu-
bitatè afferentibus, & gravi argumentorum
pondere sententiam suam firmantibus?

Ut non est causa tam iniqua, quæ Patro-
num non inveniat: ita nec sententia est tam
absurda, imò tam falsa, quæ Authorem ali-
quem non reperiat defensorem. Sed quis,
nisi amens, huic contra torrentem omnium
saniora sapientium adhærebit; & in eo ma-
xime negotio, in quo versatur, imò peri-
clitatur beata æternitas?

Posse salvari, fortè salvatum iri; non est
salvari. Quotquot nunc ardent in inferno,
poterant salvari, tamen nec salvi facti sunt,
nec unquam salvabuntur. Si sapitis, cer-
tam facite salutem vestram, eam chartaceæ
probabilitati non confidite, hoc enim idem
effet,

effet , ac salutem casui fortuito , velut aleæ jactui committere ; hoc qui agit , nec animam curat , nec cœlum amat .

Noctuæ veritatis lucem horrent intueri ; ad obscuram facem , & fatuos ignes circumvolitant ; tu oculos in solem veritatis intende , & secundùm eam dirige operationes tuas . Ignorantiam gravitatis prætendere nequit , qui vel fugit intelligere , vel renuit fidem dare ; si quid superfit dubii , quam primùm interroga , sed Virum , cui fidere animam possis , ne cœcus cœcum ducat in ruinam .

Hæc est partim natura , partim pœna peccati , ut intellectum excœcet , ut nec apprehendat , ut deberet , nec credat peccati gravitatem , sed hanc excuset , ne deserere , cui affuevit , teneatur .

Vana est Spes in solo Actu Contritionis.

Ne demoreris in errore impiorum , ante mortem confitere . Eccl. 17. 26.

MIra vis est verecundiæ hominibus innatae , quâ ita miserè cruciantur , ut ad abdita sui cordis revelanda ægerrimè induci possint ; & licet ipsi sèpius proponant , imò etiam sacrum tribunal eâ intentione accedant , ut sua clavibus Confessionis subjiciant ; dum tamen ad rem venitur , vincere se

se non possint, ut, quæ maximè deberent, satis aperiant, sed eadem vel palliant, vel sub obscuris, & valdè generalibus terminis proponunt. Sunt nempè Adæ filii, qui ubi legem Dei transgressus fuerat, illico se abscondit.

Turpia peccata hoc præprimis habent, ut lucem fugiant; latere, & quam maximè incognita manere ament. Pudet ea neinpe suæ turpitudinis; nec immerito: quia bestialia, & rationali homine prorsus indigna sunt; quæ natura ipsa occultare, & horrere videtur.

Naturali hâc verecundiâ dæmon ad fines suos optimè novit abuti; cuius autem cor, & linguam dæmonium hoc mutum semel occupavit; jam ille non dubia est inferno victima, utpote cui omnis propemodùm ad emendationem via est præclusa. Nam Sacramentalis medicina inalum non sanat, quod ignorat.

Proinde, dum hinc peccati conscientiâ, inde verecundiâ premuntur miseri, hanc que vincere non velint, velut ad sacram anchoram, ad Contritionem configiunt; sibi persuadentes: neceſſe non fore confiteri; satis futurum, si aliquando, saltem in agone actum Contritionis eliciant.

Pejus cum iis agitur, qui liberalissimè peccant, nec pravos habitus emendare curant,

ea spē, præsumptione potius ducti, quod
in agone actu Contritionis, velut spongiā,
omnia prioris vitæ delicta uno quasi tractu
sint abolituri. Et quid si repente, aut im-
provisò moriaris, ubi tum manebit tua Con-
tritione & licet in lecto moriaris, ille languor
virium, mortis imminentis metus, innu-
meræ de rebus temporalibus curæ sinentne
tibi tempus ad eliciendam Contritionem?

O misera spes! scisne, quid sit actus Con-
tritionis? Contritio est amor Dei supernatu-
ralis, & ex hoc natus dolor de peccatis pure
propter Dei bonitatem, isque super omnia. Et
tunc credis te amare Deum super verecun-
diam tuam, qui resolvere te non potes ad
sinceram Confessionem? hoc non est actus
Contritionis elicere, sed nugari.

Contritionem elicere non est res ita faci-
lis, ut tu putas. Ex centum actibus, qui
creduntur esse tales, raro vel unus est eo no-
mine dignus. Et tu peccatis usque ad aures
immersus speras te pro libitu Seraphinum
fore, nec ægrè actus Charitatis veræ, quo-
quot voles, elicitorum? utinam!

Sed estò eliceres; nunquid Contritio pro-
positum Confessionis involvit, quampri-
mùm hanc peragere possis: quid igitur ve-
recundo spēi in Contritione, si verecundia
Confessionem corrumpat?

Sive verecundaris confiteri, cape consili-
wa

um peccare verecundare ; si autem peccasti, aut pœnitendum, aut ardendum. In agone languent vires, cæcutit intellectus, imperfecta est voluntas, & qualis erit Contritio, nisi semimortua ? & hæccine te salvabit ab interitu toties promerito ? alia sanè viâ, ut longè duriori, sic & securiori salutem quæsiverunt illi, qui pro uno etiam peccato semel commisso asperam plurium annorum pœnitentiam egerunt. Hos, si sapis, sequere.

Vana Spes emendationis in dilatione
usque ad Ordines sacros, vel ingressum.
Religionis.

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Eccl. 5.

Sunt, & utinam pauci ! qui vitam non modò laxam, sed etiam sceleribus addictam ducant, qui si vel ab interno conscientiæ remorsu, vel Viro spirituali vitæ melioris admoneantur, reponent : Tum seriam se inchoaturos emendationem, cum sacros Ordines susceperint, aut dum spretô mundô statum religiosum amplexi fuerint : nec advertunt miseri pessimi dæmonis astutissimam esse hanc suggestionem, ut istâ spe latatos in malo contineat, ad peccatorum consuetudinem inducat ; quâ contractâ vel vocationem ad Ordinem religiosum amittant,

tant, vel inhabituati ad eundem inepti, & inhabiles reddantur.

Qui de proxima hora, vel die craftino certus non es, an eum supervicturus sis, unde tibi tam firma spes, & certitudo, te ad Ordines, aut Religionem per venturum? quid si prius te mors occupet? quid si Deus in scelerum tuorum pœnam vitæ citius filum rumpat; ubi tum manebit emendatio, ubi salus æterna?

Vocatio ad Ordines, vel Religionem debet esse à Deo, alias tibi ad interitum, non salutem, viam pandet: quod quia multi non examinant, utinam pauci Religiosi, aut Ecclesiastici pereant! Vocatio est magnum Dei donum, & lumen, quod dare non solet, nisi valde dilectis; & quomodo tu speras te illud habere, aut obtinere, si non cures esse in continuo ferè odio Dei.

Vide, nè te amor proprius, aut humana quæpiam ratio fuducat; audi gravissimorum Virorum hac in re mentem, qui peccato asfuetos nec Religionem ingredi, minus Statum Ecclesiasticum assumere tutò posse credunt; judicant tales ad perditionem, & animæ suæ perniciem properare, faciliùs salvandos in sæculo, quam in statu Ecclesiastico, vel Religioso, nisi prius anni unius, vel minimum medii spatio à pravæ consuetudinis exercitio plenè, & constanter abstineant.

Nihil

Nihil fieri potest imprudentius, quam quod in re tanti momenti, quanti est susceptio Ordinum, vel Religionis, prius se resolvant futurâ spe animati, antequam experientia dicerint, quid possint? monoculi sunt: emolumenta vident, quae illis hic, vel ille status appromittit; pericula verò animæ, quae illic latent, non attendunt. O miseri, & inconsulti! quid prodest tibi totâ vitâ de vita, & amictu absque tua cura provisumiri? quid prodest spem promotionis tibi aperiri? immo quid prodest, etiamsi mundum universum luereris, si animam perdas?

Habituatus in Ecclesiastico statu heu quam periculosè consistit! licet si velit emendare; licet ad tempus emendet, facile recrudescat malum; arbores per hyemem aridæ ad novos calores iterum germinabunt. Quot non in statu isto occasiones? quam promiscua conversatio, immo & cohabitatio, quanta cibi, & potus abundantia? quae non in corpus indulgentia? his adde consuetudinem, & quid ex his expectandum?

Sed nec Religionem tali, nisi asperam admodum, quis tutò suaserit. Secum fert carnem, & sanguinem, id est, tentationes, & occasionses secum habet. Illa ipsa cellæ solitudo, illud tedium vitae claustralibus multum incitat ad illicita. *Adolescens juxta viam*

viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

Vana Spes in parata semper peccato-ribus Dei misericordia.

*Cum clamaverint ad aures meas voce magna,
non exaudiam eos. Ezech. 8.*

Nihil pulchrius, aut innocentius rosâ, & ex hoc tamen tam innocuo, & amæno flore venenum fugit araneus, idem flos aliis medicina, & vita, virus aliis est, & interitus. Symbolum hoc sit misericordiæ Divinæ: quid hâc ad obtainendam salutem certius? & sunt tamen, qui in hac ipsa mortem, & interitum reperiant; ii nempè, qui ei præfidentes peccant, & in peccatis perseverant.

O amentiam, & cæcitatem humnanam! Deus bonus est, ergo tu debes esse malus. Miserationes ejus super omnia opera ejus; ergo ad iram quotidie provocandus. Est infinitæ clementiæ; ergo non sit finis impudicitiæ. Insanissima planè illatio, ex qua certa æternæ ruinæ deducitur consequentia.

Misertus tui est haec tenus, & cum te toties damnare potuisset, non fecit. Non eò consiliô ut pejor fias, ut audacior pecces, & inolitæ consuetudinis emendationem differas: sed ut optimi Patris bonitate durum cor tuum ad pœnitentiam emolliatur. Hoc si non impetrat, vœ tibi! subito veniet ira illius,

illius , & disperdet te cum corpore , &
anima.

Quanquam , quòd te non puniverit hactenus , hæc ipsa est pœna maxima , quia sic pœnam reservat in futurum . *Misereamur impio , & non discesset justitiam.* Isa. 26. Multos miseriæ , & pœnæ temporales ad sanam mentem , & vitam meliorem reduxerunt ; dum prosperitas alios duxit ad interitum . Qui non flagellantur temporaliter cum hominibus , in perpetuum flagellabuntur . *Blosf. in Ep. 12.*

Quòd te Deus non puniverit hactenus , non est , quòd de misericordia præfidas : non punivit , imò fors & beneficiis prævenit ; ut pro nonnullis , quæ fecisti , bonis operibus , pro quibus non dabitur merces æterna , hic mercedem tuam reciperes .

Infinita , & immensa est Dei misericordia ; sed non minor est justitia ; ut illa nihil boni finit impromiatum , ita hæc nihil mali finet impunitum . Peccasti ? non punivit Deus ? cave præfidas : ne cum terminata est æternitas , satis ei temporis suppetet , satis adest virium , ut peccata tua puniat . Laneō venit pede , sed , ut gravius feriat .

Creavit te Divina bonitas ad cœlum ; innumeræ tibi media dedit , quibus id conseruabis ; cœlum tamen tibi non obligavit ; illud tibi non donabit . Nihil eò coinquina-

tum intrabit. Vult , ut per tui victoriam ;
per passionum dominium , per fugam pec-
catorum illud merearis ; sinè his non habes ,
quod speres Non est quidem cœlum pro
anseribus , ut tu dicis , sed pro hominibus
conditum , sed pro iis , qui in timore , & tre-
more operantur salutem suam.

Merita Passionis Christi sunt quidem infi-
nita ; pro omnibus , quis neget ? mortuus
est Christus ; multi tamen , & heu ! nimis
quam multi æternūm interibunt ; quia san-
guinem ejus conculcārunt ; quia eum carnis
voluptatibus , quasi Barrabæ postposuerunt ;
quia peccatis usque hodie crucifigere non
cessant. Nisi vitâ innocentie , aut sincerâ
pœnitentiâ Passionis Christi te participem
reddas , & tu ea suppleas , quæ illi in ordi-
ne ad tuam salutem defunt , nihil ea tibi pro-
derit ad salutem , imò augebit damnationem ,
quod eâ abusus Redemptori tuo tam injurius
vixeris. Et licet tu pereas , Christi tamen
merita manebunt infinita.

Vana Spes pœnitentiaz in agone agendæ.

*Ecce spes ejus frustrabitur eum , & videntibus
cunctis præcipitabitur. Job. 40. 20.*

Solis radii , qui ceram liquefaciant , lu-
tum indurant : ita Dei bonitas . quæ San-
ctos in sui amorem eliquat , eadem malos
facit

facit pejores, & in malitia sua obstinatos ; dum hujus præsumptione peccare non cef-
sant, se in agone pœnitentiam acturos con-
fidentes. Audiunt Latronem in cruce à Do-
mino exauditum, & admissum ad Parady-
sum ; & illico audaciam sumunt in sceleri-
bus usque, & usque perseverandi ; quasi scri-
ptum à Domino chirographum de pœniten-
tia in agone obtinenda accepissent.

O miseri , atque infelices ! si Latronem
bonum attenditis, cur non etiam ad malum
oculos transfertis, qui peccatis suis in Chri-
sti præsentia immortuus æternūm periit.
Unus Latro salvatus est ; innumeri perive-
runt ; & cur majorem unus vobis spem,
quām metum innumeri provocant ? Solus
salvatus est, quid ergo præsumitis ?

Mors echo est vitæ ; qualis hæc præcessit,
talis illa sequetur. Hæc ordinaria est regu-
la ; cur salutem tuam , cuius maxima tibi
præ omnibus esse cura debet, locare vis in
ancipiti ? Quod fieri fortè posset ; quod se-
mel factum est ; unde tibi certitudo , in te
uno renovandum tam extraordinarium Di-
vinæ bonitatis miraculum ?

Desperata videtur illius salus , qui eò dif-
fert pœnitentiam, ubi exhaustæ vires, debi-
litatus intellectus, languida voluntas nihil
seriò agi finet. Ubi maximè operabitur ha-
bitus, ubi sollicitè instabit dæmon, sciens,

quia modicum tempus habet. Ubi mortis horror, præteriorum conscientia, de suis, & de rebus familiaribus sollicitudo, morbi depellendi cura, omne tibi tempus eripient. Tempus non erit amplius.

Quid si etiam supremo in articulo necdum te credas agonem attigisse? quod enim odi-nus, non facilè credimus: differes adhuc pœnitentiam, & eò differes, dum dicatur: **Clausa est janua.** Quis tum fructus spei tuæ peffimæ?

Scisne, quali morte sis moriturus? quid si repentina, & improvisa te obruat? ubi tum ad æternitatem præparatio, ubi pœnitentia ad eum temporis articulum dilata? Credo ego, & credunt alii, hanc communem ju-stissimi Dei vindicis, quâ habituatos castigat, pœnam esse, ut qui pœnitentiam di-flulerunt ad agonem, hujus occasione desti-tuantur.

Et meretur hanc præsumptio ista pœnam, ut Divina bonitas in eos vim suam non exerat, qui eam usque ad agonem impunè la-cessere posse stultissimè crediderunt. In quo enim quis peccat, in eo punietur.

Pœnitentia illa sera, non videtur esse vera Augustino; non enim nos tunc deserimus vitia, sed illa nos deserunt; nec tam dolemus de commissis vitæ prioris erratis, quām tem-pus eripi pro committendis. Coacta hæc emen-

emendatio est, si quis tunc peccare nolit; cùm amplius non possit. Voluntariè sacrificia Deo, si sacrificium tuum cupis eidem esse acceptum.

Cor durum, & eosque impoenitens, male habebit in novissimo. Tot instinctus, & monita te ad meliorem vitam revocantia si non admittis, durnm, adamantinum tibi cor est. Sed cave; quia male, imò quia pessimè habebis in novissimo, ubi ad desperationem citius, quàm poenitentiam te resolves. Ipsa Dei longanimitas emendationem tui tamdiu præstolantis, & tot tibi interea bona largientis clamabit contra te vindictam.

Confessarius Stabilis.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur. Psal. 28.

AGer, si ejus arbitrio relinquatur, medico, quo volet, utendi, profectò non obvium quemque de trivio, sed in arte mendendi peritissimum eliget. Non minor de animæ cura habenda est sollicitudo, utpote cuius & pericula graviora sunt, & cura longè difficilior. Ideo, dum tibi delectus permittitur, certum, & stabilem tibi delige Confessarium, cui tutè animam id est, id, quod habes pretiosissimum, committere possis,

Eligendus autem is est, qui non solum absolvat, sed etiam profit; qui non tantum Judicem, sed & Medicum agat. Virum suadeo insigniter spiritualem, prudentem, D E O unitum; ut sperare possis; eum specialem à Deo habiturum gratiam animas dirigendi, quam non quisque habet. Ars enim artium est regimen animarum.

Nec satis est eligere talem, qui sciat, sed etiam qui velit tui curam suscipere. Sunt enim, qui cum certo hominum, & animarum genere libenter agunt; vel certè aliis distenti operam tibi suam locare non posseunt, aut etiam ex rationibus sibi notis non volunt.

Non quilibet quadrat pro quolibet. Christus Sa^{ul}o Ananiam designavit è pluribus. Indubium est: quòd sicut suum cuique Deus Angelum Custodem designavit, sic etiam respectu tuæ animæ majorem uni Confessario sit præ altero daturus assistentiam.

Ut tibi aptum eligas, primùm orandus est Deus, ut te ad talem dirigat; attende animum tuum, quòd te inclinet: aliorum etiam consilium licebit petere; tandem rerum omnium magistra experientia te docebit.

Ubi certum elegeris, conare illi totus esse notus, si fieri potest, etiam de tota vita; deponenda hic omnis verecundia; opta illi ita notus esse, sicut es ipse tibi: tanto te juva-

javabit certius, quanto intimiūs novet; expedit illum scire, te velle constanter ab eo dirigi; quod ut melius fiat, Deum ora, ut te per illum dirigere velit.

Talem animae arbitrum Dei loco habet; ab illius consilio non recede; ad illum in dubiis, & difficultatibus animae omnibus recurre.

Crescit quidem difficultas, si eidem iteratos lapsus velis confiteri (quoniam pudore non deberet, dum quis vult fieri melior) si tamen instet verecundia, cogita: hanc ipsam tui victoriam partem esse satisfactionis pro peccatis; esse meritum, vi cuius majorem a Deo gratiam pro emendatione peccati sperare possis.

Absolvi vult, non vult emendari, qui stabilem Confessarium adire timet. Audiat habituatus in carnis vitio doctissimi è Soc. JESU Card. Toleti judicium: Est vitium hoc difficillimae emendationis, ut crediderim maximam partem damnatorum esse ob hoc peccatum in inferno; Vix puto esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam NB. cum uno, eodemque Confessario Confessionem, ut fiat ter in hebdomada, si fieri possit, & qui hoc medio non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum, aut rarissimum privilegium. Ita ille, ita experientia.

Quid circumeunt per tempла, variant Confessarios, si boni sint, facilius seducuntur; si mali, rarius emendantur. Sæpe, quos Dei timor non continet, deterret à scelere confusionis memoria, quam subire deberent apud suum Confessarium.

Hæc ita accipe, si per accessum ad eundem non sit periculum, aliquid ex verecundia omittendi; alias enim præstat alteri ignoto confiteri, quam confitendo peccare.

Frequens Confessio, & Communio.
*Parasti in confpectu meo mensam adversus eos,
qui tribulant me. Psalm. 22. 5.*

OMNium tam ordine dignitatis, quam utilitatis pro peccatorum emendatione ex Ascetarum consilio primum remedium est: frequenter confiteri, & communicare; nec defuerunt, qui dixerint: habituatum, nisi hoc mediò debitè utatur, absque miraculo non esse malo suo liberandum.

Mala etiam corporis ad sanitatem inclinant, dum ex abdito prorumpunt; nisi ejiciatur virus, occidit: spiritualis verò medicina non sanat, quod ignorat.

SS. Eucharistia cùm infinitam in se contineat sanctitatem, depravatam naturam facile corrigit; intellectum ad supernaturalia elevat; voluntatem sanctis desideriis implet; frangit vires cupiditatis,

Sciens hoc dæmon , ut fructum impedit ;
 iis diebus , quibus adeunda hæc forent Sa-
 cramenta , jam tædium , & teporem exci-
 tat ; jam occupationes obtrudit ; jam humo-
 res ad quandam invaletudinem commovet ;
 jam variis ex rationibus differre suadet . No-
 vit nempe hâc viâ , nisi mature occurrat ,
 prædam cassibus suis elapsuram .

Per hujus Sacramenti frequentationem fa-
 cti sunt multi dæmonibus terribiles , qui his
 priùs ludibrio erant , Panis hic nempe An-
 gelorum est , & vinum germinans virgines ;
 ideo *Sensum minuit in minimis peccatis , in*
gravioribus tollit omnino consensum . Bern.

Seriò se emendare cupienti utilis præ pri-
 mis foret Confessio de tota vita generalis ;
 tum quia periculum est multas ab habituato
 absque dolore sufficienti , aut proposito fa-
 ctas ; tum ut multitudine scelerum simul vi-
 sâ ad generosiorem sui peccati victoriam
 moveatur ; denique ut Confessario status
 ejus magis innotescat , meliusque dirigi
 possit .

Quoties frequentanda sint hæc Sacramen-
 ta , difficile est definire ; sunt , qui habitua-
 to ternam minimum , per hebdomadam
 suadent : tutissimum erit animæ tuæ Arbitri
 consiliô hac etiam in re uti .

Aliorum consilium in eo versatur , ut ha-
 bituatus seriò quærens emendationem , illud

Atatuat : ut toties stabili suo Confessario con-
fiteatur , quoties in familiare sibi vitium la-
beretur ; ita , ut viginti quatuor horas elabi
non sinat . quin animam expiaverit .

Semel quippè lapsus ; nisi citò expietur ,
gratiâ Dei privatus facilè labetur saepius ;
sicque roboratâ consuetudine difficilior fiet
emendatio .

Ne aliis frequentia Confessionis innotes-
cat , & inde ansa suspicandi detur ; confer-
cum Confessario , qui res hæc institui possit ,
nè in aliorum notitiam perveniat . v. g. ut
eum privatin convenire possis .

Quanquam frequentia Confessionis ma-
lum esse non denotet ; non defuere Viri san-
cti , qui quotidiè sint confessi . Licet saepi-
us verratur hypocausium , semper quod ver-
ratur , invenietur .

Illud observa , nè frequentia hæc adeun-
di Sacra menta fiat quasi ex consuetudine ,
absque debita præparatione , aut reverentia ;
sic enim mirum non foret , si minorem ex-
pectatione fructum inde referres .

Si medicina effectuni suum non exerat ,
obesse patienti plurimum medici existimant ;
pariter si sanctissima hæc Sacra menta , quæ
in morborum nostrorum antidotum à Chri-
sto sunt instituta , effectu suo frustrantur ,
periculum est , ne plus obsint , quam pro-
sint .

Fuga Occasionis.

*Qui amat periculum, peribit in illo. Eccl. 3.
v. 17.*

Ubi aër pestilentia infectus est , aut contagiosus aliquis morbus regnat, qui ab eo sanus esse cupit , maturè fugiat , est necesse ; tantò securior, quantò remotior. Vitia etiam nolentibus adhærent.

Nihil sanè imprudentius , quām propone: quòd nolis calefieri , aut ardere ; & tamen liberè ignem accedere , quin medias in flamas se ultrò ingerere. Quid pessimos eorū cupiscentiæ ignes in te hactenùs accenderit , tu nōsti optimè ; nisi locum pestiferum fugias , ardebis iterum , iterum peribis.

Quod olim Arsenio in Theodosii aula versanti dictum , idem tibi idem idem repeti existima : Arseni fuge , & salvaberis.

Fuge illam conversationem , esto tibi charissima sit , ubi sub jucunditatis , & joci velamine , quot verba , tot impuri cupidinis jacula circumvolant ; ex quibus ea profundiùs hærent , quæ plus ingenii , & acuminis præseferunt. Et licet apertè turpia non forent , cogita : quòd venena etiam sub melle occidant.

Fuge formas , tanquam malorum illecebros , quarum intuitu pascuntur oculi , sed animam deprædantur. Ut vidi , ut perii ,

fateri multi coguntur. Impudicus oculus impudici cordis est nuncius.

Fuge libros , cantus , imagines , quibus cum honestate non satis convenit ; nec artem ibi , nec eloquentiam , velut gemmam in luto piscare ; non desunt puriores hujus obtinendæ fontes.

Fuge spectacula publica , saltus , comedias , nuptias , stentorum theatra , ubi suh specioso cortice ea plerumque videnda , & audienda proponuntur , quæ toxicō omni magis castis nocent animabus.

Fuge Societatis magnas , hominum frequentiam , maximè ubi luxus vestium , quali totidem elaboratæ Veneres comparent ; quoties enim hos inter homines fueris , minor homo redibis , minor integritare , adeoque pretiō.

Fuge diversoria , œnopolia , hospitia , hortos , domos denique omnes , quò apertus cuilibet promiscuè ad libitum patet aditus. Latet anguis in herba , sinè vulnere vix redibis.

Fuge tenebras , nocturnum domo , etiam sub prætextu devotionis , aut alterius negotii exitum. Nox est noverca virtutis , nutrix vitiorum ; plus ibi regnat , & facilius nocet princeps tenebrarum.

Fuge etiam unum , quem aliquando expertus es vel ore , vel manu , vel etiam nutu casti-

caſtigatæ honestatis leges non obſervâſſe ; trahuntur enim ex converſatione mores ; & cum malo facile malus eris.

Fuge mi Arſeni, & ſalvaberis. Fuge etiam te ipsum ; time oculos tuos , manus tuas time ; & his ultra neceſſitatis leges nihil indulge ; ſi te ſcandalizaverint , maturè abſcinde , crue.

Fuge etiam cogitationes proposito tuo inimicas , nec eas responsô dignare , ſed ut viles ſolemus , aversô quaſi vultu deſignare .

Nec turpis in hiſ , imò glorioſa eſt fuga , dum cum turpi adeò hofte congredi , & pugnare , dignitatis tuæ memōr , dedigna- riſ. Non ſoli Parthi fugiendo vincunt , etiam in ſpirituali hac pugna fugere certio- rem parit victoriam , quām apertè reſiſtere . Superbus hostis noſter eſt , contemni fert ægerrimè , mavult non redire amplius , quām ut ita fe deſpici patiatur , ut tentatus eum ne congreſſu quidem dignetur. Multi fa- ciliūs vincerent hunc hoftem , ſi non time- rent.

Noviſſimorum memoria.

Utinam ſaperent , & intelligerent , ac noviſſima providerent , Deut. 32.

Nullum contra omnia peccata vitanda remedium eſt certius , quām quod Spi- ritus Sanctus Eccl. 7. præſcripfit. *In omni- bus*

bus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Perpetuam horum nobis cupit inesse memoriam, dum eam omnibus operibus nostris vult adesse.

Ex frequenti novissimorum memoria sacro illo Dei timore, & amore imbuemur, ut mala omnia fugere, & quidquid potest manus nostra boni operari, exercere docemur. Quorum recordatio sæpius iterata eas intellectui, & phantasie species impri met, quæ turpibus imaginationibus, id est, primis ad peccandum ducibus locum non relinquunt.

Gerta docuit plurimorum experientia, qui in profundum peccatorum venerant, annisque compluribus luto huic inhæserant, postquam frequenter de morte, de inferni pœnis, & gaudiis vitæ æternæ cogitârunt, eò brevi pervenire, ut dicerent: non modò sibi dissipere, sed quodammodo impossibile esse peccare.

Experire: si tentaris, si periculum tibi lapsus imminet, sine consilio nihil resolve, quatuor adhuc Consiliarios, mortem hinc; inde judicium colloca, hic, Infernum, Cælum ibi constitue, Præsidem his æternitatem adde: propone quæstionem: quid te facere oporteat in hoc articulo? exquire sententias: Omnes quid sentis? debeōne hoc facere? si præsens mihi ades, quid suaderes? & sic

de

de reliquis. Nec dubita, sanissima tibi ab his
suggerenda confilia.

Quotidiè aliquid de uno ex novissimis co-
gitare si in mores, usum induxeris, saluber-
rimam, contra vitia omnia præservativam
habebis medicinam.

Memoriæ juvandæ causâ, proderit ja-
culatorias quaspiam breves tibi reddere fa-
miliares, quarum frequentiori rememora-
tione, velut scutô contra tela ignea nequissi-
mi dæmonis muniaris, v. g. *ibit homo in do-*
mum aeternitatis sua. Dispone domui tuae,
morieris enim tu, & non vives. Si justus
vix salvabitur, impius, & peccator ubi pa-
rebunt? Momentaneum, quod delectat; aeter-
nun, quod cruciat. Venite Benedicti! possi-
dete paratum vobis Regnum, &c.

Orâsse rosariolum de novissimis vel inte-
grum, vel unam, alteramvè decadem, plu-
rimùm profuit. Dum nonnulli ad crucem
dicebant: *Memorare novissima tua, & in*
aeternum non peccabis. Ad majora grana re-
petebant: O aeternitas! o aeternitas! o ater-
tas! Ad minora grana iterabant: mors!
o Judicium! o inferne! o Calum! Quod ip-
sum uberiorem suggeret affectum, si unum
singulis alterumve addideris epithetum. v.
g. *O mors horrenda! o mors amara! o Ju-*
dicium tremendum! Judicium inscrutabile!
o Judicium inevitabile! o Inferne intermi-
nabilis!

nabilis ! ô Inferne crudelissime ! ô Inferne intolerabilis ! ô Cœlum jucundissimum ! ô Cœlum inamissibile ! ô Cœlum pulcherrimum ! &c. Quibus alia substituere pro varietate, tuique affectus dictamine poteris, quod ipsum ad evitandas distractiones multum conduceat.

Aliquod novissimorum memoriale præ oculis desige, ut sit tacitus actionum tuarum censor : sic multi calvarias vel veras, vel pietas ante oculos constituunt. Sanctus Carolus sigillô, quo utebatur, mortem incidi jussit. Carolus V. Imp. tumbam paratam semper ante oculos habebat, &c.

Juvat etiam libros de novissimis legere, aut de his frequenter discurrere ; cœmetria adire ; funera comitari.

Mortificatio.

Si secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ad Rom. 13.

UT caro, nisi saliatur, vermes ; terra, nisi aratrô exerceatur, spinas, & tribulos ; aqua sine motu buffones generat : sic corpus humanum, sensualitati suæ relictum, quid nisi ad ea, quæ naturæ sunt, Divinæque legi contraria, te inclinabit ? equus sine flagro & recalcitrat, & petulcit.

Perpetua tibi cum carne, & sanguine lucta;

Vir-

Virgo à bello nunquam cessat ; magnò labore stat castitas ; hostis, qui te impetit, blandus est, subdolus est, & proximus ; huic si blandiris, si eum non inimicè tractas, periisti.

Vide Sanctorum exempla : Benedictum inter spinas ; Franciscum in nivibus ; in aqua gelida Ignatium ; & quotquot castitatem voluere intaminatam, crucifixerunt carnem eum vitiis, & concupiscentiis suis ; mille illam modis affixerunt, ut rationi, & spiritui subjicerent.

Morbi graves leni medelâ non curantur ; amaris perfæpe potionibus, ferrô, igne opus est, ut malum extirpetur. Tibi hoc dictum crede habituate ; grande tibi adest malum, grande periculum ; levi manu non curabitur, serietate opus est, opus est Paulinâ resolutione : Castigo corpus, & infernitum redigo.

Arbor, quæ pluribus annis crevit, & profundas egit radices, imbelli manu non extirpatur : frustra vellicas ! non evelles, ferrô hic opus est, opus est iactu validô, neque unô.

Recogita, quas hactenus peccatis tuis poenas sis meritus ? quando vel unum æternis non satis expiatur. Si nolis proinde severius à districto Judice castigari & in hac & in altera vita ; tu tibi sis judex, idem reus, & vindicta ; castigate, nè castigeris.

Nec

Nec vites fructum ferunt, nisi cultrum senserint; & hortus abibit in desertum, nisi protuberantes à natura stolones identidem, amputentur. Sinè corporis mortificatione, neque hominis officio, minùs peccatoris obligationi faciemus satìs.

Nemo se pejus odit, quām qui sibi parcit quām maximè; indulgentia hæc ruinæ tuæ causæ est, qui non odit carnem suam, non erit Christi discipulus,

Intuere Christi exemplum, qui viam, quā cœlum scandere possimus, nobis aperuit; tò si aspiramus, flagra, sanguinis effusionem, spinas horrere non debemus. *Pudeat sub spinoso Capite membrum latere delicatum.*

Tu tibi carnifex, tu tyrannus esto: cædatur, flagelletur, mille modis vexetur vetus homo, ut cupiditatibus, & concupiscentiis suis moriatur; vivatque novus homo, qui de se ipso dicere possit: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

Non magna sunt, quæ suadeo; flagellis in se desævire; cilicium ferreum, aut ex se-
tis gestare, ritu Ecclesiasticō, quandoque in
pane, & aqua jejunare; noctem, vel aliquam
ejus partem super stramine, aut affere agere;
extra cœnæ, & prandii tempus nihil sumere;
flexis genibus, & expansis manibus diutius
orare; frigus, & calorem, aliaque corporis
inconvenia ultrò querere satius est, quām
cor-

corpus fovendo inferni olim pœnas tolerare: nec ideò hæc non audemus, qnòd difficultia sint, sed difficultia fiunt, quia non audemus; proba, plura potes, quàm putas. Te multò nobiliores, & delicatores hæc, & his longè graviora tulerunt; si hæc tolerare non potes, quomodo pœnas sustinebis æternas? O quàm jucunda tibi videbitur commutatio, si modicis his pœnis sempiternas redimas!

Votum Devotionale.

Juravi, & statui custodire judicia justitia tua.
Pfalm. 118. 106.

Tanta est humana fragilitas, ut, licet hominibus plenâ animi resolutione quidpiam statuat agere, vel cavere, brevi calore illo propositi tepescenti iterum ad ea recidat, quæ tantopere priùs damnaverat. Naturæ nempe sua semper expetentis, & ad eadem inclinantis hoc vitiō fit; non secūs, ac horologii pondera, licet manè artrahantur in sublime, sensim tamen sinè sensu naturalis gravitatis impetu labuntur, & vesperi terræ affixa reperiuntur.

Fragilitati huic continuæ frequentissima propositi renovatio medelam faciat, est necesse, nempe: ut illud ad singulum horæ, aut etiam quadrantis sonum conceptis jam priùs affectibus repeatas; & jaculatoriis totidem precibus, velut clavō figas. v. g. si dicas:

dicas : Amplius lava me ab iniuitate mea ,
O à peccato meo munda me. Vel : Cor mun-
dum crea in me Deus , &c.

Si etiam hanc propositi iterationem , &
affectionum frequentiam fragilitas tua eluse-
rit , animæ tuæ Directorem consule , an con-
sultum tibi foret propositum tuum votō
etiam devotionali confirmare ; quō te sub
obligatione gravis peccati ad propositum
tuum efficacius adimplendum obstringas.

Devotionale voco illud votum , quod à
certo tempore ad determinatum usque diem ,
v. g. ab hac die usque ad proximam Confes-
sionem instituendam , vel per unam hebdo-
madam , aut mensem ita te obliges , ut tem-
pore hoc absolutō liberum tibi maneat , vel
votum hoc omittendi , vel si tibi , Confessa-
riōque tuo placuerit , ad aliud iterum tem-
pus extendendi .

Voti hujus utilitas eò spectabit , tum ut
tibi fræni cuiuspiam loco sit ad id , quod sta-
tuisti , exequendum ; nè per ejus violatio-
nem sacrilegii te reum facias : tum ut augen-
di apud Deum meriti sit instrumentum ; opus
enim ex voti religione factum , vel mali ali-
cujus omissione longè plus meriti obtinet ,
quam si opus idem , aut omissione mali absque
voto facta fuisset .

Ut votum hoc emisisse suam habet utili-
tatem , sic eidem frequentius ; repetere , obti-
net

net majorem; quod vel paucis, v. g. dicendo: quod placuit, placet; vel, quod voti, repeto; vel solâ cogitatione fieri potest. Tum autem maximè necessaria hæc voti renovatio videtur, dum tentatio instat vehe- hementius, & periculum proposito tuo vio- lando majus imminet.

Quia tamen non omni semper feryori dan- dus est locus, id tibi dictum puta, ut, licet interior te instinctus impellat, & diversa ti- bi motiva occurrant, ad votum perpetuum emittendum, sinè gravi consilio, & ejus, qui te à conscientia novit, judicio id non fa- cias, nè multarum posteà occurrentium diffi- cultatum ipse tibi materiam præbeas; maxi- mè cùm per devotionale hoc & meritum par, & eandem in tui emendatione utilita- tem nancisci possis.

Formula Voti Devotionalis.

OMnipotens Sempiterne Deus, ego N. licet undequaque conspectu tuo indi- gnissimus, fretus tamen pietate, & miseri- cordiâ tuâ infinitâ, & impulsus tibi placen- di desideriô, coram Sacratissima Virgine Maria, & Curia tua cœlesti universa voveo (ab hodie usque ad NN.) me peccatum N. non commissurum. A tua ergo imme- sa bonitate, & clementia per JESU Christi sanguinem peto suppliciter, ut hoc holo- cau-

cautum in odorem suavitatis admittas , &
ut largitus es ad hoc desiderandum , & offe-
rendum , sic etiam ad explendum gratiam
uberem largiaris.

Cultus Marianus.

*Filioli ! hac peccatorum scala ; hac mea ma-
xima fiducia.* Bern.

Si omnia nos Deus habere voluit per Ma-
riam , si eam Deum inter , & hominem
Opitulatricem , & universalem in rebus Pa-
tronam , & Advocatam Divina Providentia
constituit ; nunquid & vitii , quod extin&tum
cupimus , emendationem ejus interventu
nos obtenturos tutò co^ofidere possimus ?

Contrivit illa statim in primo Conceptio-
nis suæ momento caput serpentis infernalis ,
nunc quoque Opitulatrix contra illum ade-
rit. Nec ulla in re libentiùs pro Clientibus
suis agit Maria , quam dum eorum Puritas
periclitatur.

Nec potest illi deesse potest , nec vo-
luntas. Potentissima illa est apud Filium
Omnipotentem , quid enim Mater à Filio ,
& talis Mater à tanto , talique Filio impetra-
re , imò suavissimâ violentiâ extorquere non
possit ? sed & Mater nostra est , & quidem Ma-
ter gratiæ , Mater misericordiæ ; quô nomine
gloriari non posset , nisi misericordia , & peccato-
ribus clementiâ suâ promptissimè subveniret.

Nec

Nec ulla in re certius est M A R I Æ patrocinium , quām cūm ad amoliendum è corribus humanis peccatum invocatur ; quanto enim magis illa dolet Unigenitum peccatis denuo crucifigi , tanto occurrit promptior , ut quidquid in anima iniquitatis latet absconditum , intercessione suâ quanto-
cyùs eluatur.

Immaculata in Conceptione ; nulla unquam in ea vel umbra peccati ; Virginitatis senacissima , quain prima ex omnibus creaturis Deo vovit ; nec Mater Dei esse sustinuisse , nisi Virginem se manere posse ab Angelo didicisset . Mater hæc purissima nunc ad clientum suorum puritatem à fordinibus omnibus emaculandam opem suam promptissima suppeditabit ? Quos amat , vult puritatis esse amatores , in se , & aliis promotores , quod ut impetres ;

MARIAM ama , sed tenerè , sed constanter , sed ardenter ; amorem , nè otiosus fit , operibus testare . Affectus in eam esto boni , steriles tamen sunt , facile intepescunt , nisi pondus iis addat operatio . Nulla cultus ullius industria magis ei , præ virtutum ejus imitatione , placebit ; quas inter velut Regina eminet Virginitas ; ut scias nullum te charius illi præstare posse obsequium , quām si tuam ejus puritatis imitatione quām maximè serves illibatam ; hæc te Clientem ;

hæc dilectum , hæc M A R I Æ Filium efficiet.

Si dæmon aliquam puritati tuæ labem inspergere laboret , ut parvuli , dum terrentur , solent , ad tuæ Matris sinuum te recondere , ibi humili affectu , spe tamen vivâ opis illico adfurruræ ingemina : Per Sanctissimam Virginitatem , & immaculatam Conceptionem tuam purissima Virgo emunda cor + corpus + & animam meam . †

Si Deiparam sincerè ames , indonatam non adibis . Nolo liberalitati tuæ modum ponere ; habes indubie preces , quibus eam indies veneraris ; statuisti , quot in ejus per vigiliis , aut Sabathinis diebus mortificaciones ejus honori offerre velis ; quæ ejus templa adire , quas colere imagines decreveris , tibi notius est . Munus suadeo , quod & Mariæ præ reliquis charum , & executione facillimum est , nempe ut coram ejus icone procidimus , diebus singulis hos oculos , has aures , hanc linguam , has manus , & cor istud , quæ tibi Deus contulit , Mariæ honori immoles in holocaustum , ut nec oculi , nec aures , nec lingua , nec manus , nec cor quidquam admittant , quod Marianæ puritati adversari , & displicere . posset .

Præsentia D E I.

*Oculi mei semper ad Dominum , quoniam ipse
evellet è laqueo pedes meos. Psalm. 24. 15.*

Quod Josephum veteris testamenti medium à peccato præservavit, dum diceret: *Quomodo possum hoc malum favere, & peccare in conspectu Dei mei?* idem hodiecum efficacissimum est, & plurimos à lapsibus, in quos proni ruerent, præservat; nempe Divina præsentiae recordatio.

Deus nempe timendus est in publico, timendus in secreto; si cubile intres, videt te; in corde veriaris? videt te; si peccare vis, quære, ubi non videt te, & fac, quod vis. Magis tibi præsens intimiorque Deus est, quam tu ipse tibi; Deus enim ubique est, totus in toto mundo, & totus in qualibet ejus parte quantumvis minutissima.

Quanta pars peccatorum tolleretur, si peccaturis testis assisteret; assistit ubique Deus; & quod tu coram viro honorato aut Moderatore tuo committere non præsumeres, quomodo audias coram Deo tuo? Si certus fores acta tua singula Moderatori tuo propalanda, quam sollicitè circumspiceres, nè quid agas, quod ejus censuram mereretur. Novit omnia Deus, & nihil est ab oculis ejus absconditum.

In alterius præsentia, & in faciem aliquem

offendere, gravissimus personæ sic offendæ contemptus est, qui certissimam meretur indignationem: id tu facis, quoties peccas, licet te solum esse credas, aut in profundas te tenebras recondas.

Nec tantum peccati tui spectator est Deus, sed hortatur, ut vincas; præmium offert, idque sempiternum; si consentias, minatur infernum; si Miles à Duce spectetur, alacrius pugnat, spe laudis consequendæ robur omnne exerit, ut vincat: Nos cum carne, & dæmone luctantes spectat Deus, intuentur Angeli; hortantur hi, ille etiam juvat ad victoriæ. Eleva in cœlum oculos, & præmium specta, quod Deus vincenti præparavit. Laqueos diaboli facile evadit in terris, qui semper oculos habet in Cœlis.

Boleslaus Regiâ stirpe genitus Patris effigiem è collo pendulam frequenter osculatus sic alloquebatur: absit mi Pater, ut unquam aliquid Regiô tuô nomine indignum agam. Quam pronum est, ut imaginem Crucifixi prote Domini penes te habeas, cuius intuitus, quid te, cœli hæredem, agere deceat, saepius admoneat.

Affuesce cogitationes ad inutilia vagari solitas quandoque ad Deum elevare, ut vivâ fide tibi persuadeas: operanti semper adesse Deum per essentiam; adesse per præsentiam, adesse per potentiam, & justis etiam adesse per gratiam.

Cum

Cum Deus nunquam non recordetur tui,
quin omni etiam momento novis te cumulet
beneficiis, & quidquid habes, per conserva-
tionem denuo tibi det; næ tu ingratissimus
mortalium es, si te Dei, continui benefacto-
ris tui meminisse pigeat.

Nec satis esse puta intelle&tum per vices
Dei recordationi commodare, nisi etiam vo-
luntatem per intensos amoris actus, per Con-
tritionis affectus, humiles Divinæ afflstantiæ
petitiones inflammare consuescas.

Deus est, in quo vivimus, movemur, &
sumus; ille est, ad quem singulas actiones,
verba, & cogitationes ex creationis nostræ
fine dirigere obligamur; errat proinde om-
nis actio, quæ Deum præ oculis non habet;
si verò habet, jam felices sumus; Dei visio
in cœlo, ejus præsentia in terra nos beatos
efficit.

*Pone me juxta te, O cuiusvis manus pug-
net contra me, dicere securè poterit, qui
Deum semper sibi præsentem habet.*

Examen particulare.

*Verebar omnia opera mea, sciens, quod non par-
ceres delinquenti. Job. 9.*

Modus vitium aliquod emendandi ef-
ficacissimus visus est Sancto Ignatio;
constans usus examinis particularis; non
quod usus hic immediatè, & quasi uno

icētū malum omne tollat , sed quōd succel-
sivē , si ritē fiat , omnino emendet . Praxis
illius est .

1. Manē persolutis precibus aliis firmiter
tecum statue , saltem usque ad tempus pran-
dii , vitium N. singulari curā , & diligentia
vitare , opēnque Divinam ad hoc pete .

2. Per diem sāpius , minimum sigulis ho-
ris , idem propositum renova cum aliquo fer-
vore .

3. Si contra propositum à te factum te for-
tē labi contingeret , statim manu pectori ad-
motā , de lapsu dole , ac propositum reno-
va ; quod etiam aliis præsentibus , nec tamen
advententibus fieri potest .

4. Bis de die , circa pomeridianum nem-
pe , ac vespertinum tempus , imploratā prius
Dei gratiā , examen fac recogitando , quoties
propositum violaveris ? de lapsibus dole , ac
iterum , sed firmius propone ; ac lapsus tuos
in charta designata totidem punctis nota , v.g.

D.	· · · · ·	— — — — —
L.	— — — — —	— — — — —
M.	— — — — —	— — — — —
M.	— — — — —	— — — — —
J.	— — — — —	— — — — —
V.	— — — — —	— — — — —
S.	— — — — —	— — — — —

5. Confer tempus matutinum cum pomericiano ; diem cum die ; vel hebdomadam cum hebdomada ; ut intelligas , an , & quæ in vitio , quod exterminatum cupis , successerit emendatio ; quod ex punctorum notis inter se collatis statim patebit.

6. Si secuta fit emendatio , Deo gratias refer ; sin minus , iterum & dolorem , & propositum renovato , idque tamdiu , donec illud plenè emendes .

7. Ad accelerandam emendationem profeffet , si , quoties per diem te lapsum esse observaveris , toties spontaneam tibi poenam ipse statueres ; v. g. ut toties terram osculeris ; vel toties Pater & Ave recites ; totidem nummos pro danda proximè Elemosyna seponas ; vel tot flagellò tibi ipse ictus infligas . Illud observa : quanto sensibilior , & gravior hæc poena fuerit , tanto certius & pro lapsibus Deo satisfacies , & citius vitium emendabis .

8. Pro fervore augendo utile foret Patronum aliquem deligere , qui in virtute vitio , quod persequeris , contraria maximè excelluit ; ut ejus apud Deum pro tui emendatione intercessione te celerius emendare possis .

Materia talis examinis' potest esse omne id , quod cupis emendatum , tanto tamen erit efficacius , quanto actus , quem vitare

proponis , fuerit magis particularis v. g. si vitium aliquod puritati contrarium velis emendatum , feligere poteris aliquem ex sequentibus actibus . 1. Non intueri fixe formas teneriores . 2. Nullum verbum procax , aut minus pudicum dicere . 3. Ad similes aliorum discursus non subridere . 4. Nullum etiam jocō tangere . 5. A non necessario sui tactu , vel aspectu cavere . 6. Omnem incidentiam turpem illico ejicere . 7. Otium omne , maximē manē in lesto cavere , &c.

Occupatio honesta.

Qui sectatur otium , stultissimus est. Proverb.

12.

UT laboribus omnia comparari , sic etiam continentia & vitae integritas illibata conservari , potest . Quantò quis honestis laboribus , & occupationibus magis est distentus , tantò erit à periculis puritatis magis remotus . Experientiam hic testem appello , uti & Sanctorum Patrum vulgatum axioma : Diligentem vix ab uno dæmonie tentari , dum interim desidiosus à centenis ex orco submissis dæmonibus fatigatur .

Otium cum sit pulvinar diaboli , in eo suavissimè quiescit , nec otiosus tamen , nam pravas identidem suggestiones ingerere , phantasiam turpibus imaginibus replere ; naturam tanquam in fœdus vocatam ad illicita exci-

excitare, impuras denique flamas accendere non cessat.

Ubi mens seriis occupata est, nec dæmon ibi locum, nec fædæ species spatium, nec natura tempus ad illicita invenit, sicutque anima pace plenâ, tentationum omnium expers vivit, & negotia sua prosequitur.

Nec illud tamen solum tu crede otium dici, quando quis nihil agit, ab omni actione vacuus inaniter tempus perdit; sed & is in otiosorum Catalogo reponendus est, qui non agit, quod deberet. Licet proinde per diem totam cursites; omnes domûs angulos loquacitate impleas; lufites; bonâsque horas jocis, nugisque impendas, otiosus es; si hæc absque sine præfixo, sine fructu intento, & absque serietate agas. *Quanta vita pars elabitur nibil agentibus; quanta malè agentibus!* Sen.

Age, quod agis; alias nihil agis. Licet legas, studeas, ores, si hæc non, seriò non cum debita mentis applicatione agas; otio indulges; nec tam enim studies, quam otiosus in libros incumbis; non tam legis, quam librum lustras, & volvis; non tam oras, quam labia moves; id est: tempus inutiliter perdis.

Nunquam otium suô caret periculô, sunt certâ tamen tempora, quæ plus secum periculi trahunt. Primum ut ordine, ita perniciose tempus est matutinum, dum excussô jam

media ex parte somnō , sicut porta in cardine huc & illuc , sic piger versatur in lectulo - & oscitans se hosti materiam præbet ad tentationes. Adest hic enimverò præcursor diabolus , Lucifer matutinus , & diei primicias fibi decerpere , & lucrari satagit , dum desidiosum , & semisopitum ad illicita quæ- quæ sollicitat.

Si otio jungatur curiositas , id ad illicita pondus addit , quantum ignis ignibus additus flamas juvat. Si per fenestras , nihil agens , prospetas ; obvia quæquæ lustras objecta ; fora omnia . & compita obberras ; aut in triviis consistendo te cuilibet venalem facis ; quid aliud expectes , quām quod paricibus accidit ; quæ dum latè ubique circumvoltant ; omnia lustrant ; præda fiunt aucupis ; & vel in cippum incident , vel viscō inficiuntur.

Si quæras , quid tibi agendum sit ? audi : Nunc lege , nunc ora , nunc i , nunc scribe , labora ; sic erit hora brevis , sic labor ipse leviss. Fac , & diem tibi partire ; nihil casu , omnia fiant consilio. Nulla sit occupatio statui tuo conveniens , quæ designatam fibi horam non habeat. Si Studiosus es , quid tibi agendum sit , ignorare non potes. Qui diligentissimi sunt in studiis , plerūmque sunt meliores.

Nec particula bonæ diei his abit absque fructu. O si pretium temporis ponere , mi- nutias

nuntias horarum in nostram utilitatem convertere sciremus, quam securi essemus à peccandi periculis?

Fructus frequentis Communionis, de votè peractæ, & ad vitæ emendationem necessariæ.

1. **R**emittit peccata præterita, quæ memoriâ exciderant.
2. Præservat à peccatis, in quæ quis facilius laberetur.
3. Pœnas peccatis debitas minuit.
4. Debilitat cupiditates, & vitiosas inclinations.
5. Tentationes debilitat, & facit esse rariores.
6. Peccata venialia remittit.
7. Habitualis robur addit ad victoriam.
8. Ad meliorem vitam, & pietatis studium excitat.
9. Intellectum illuminat, ut videat, quæ sunt animæ utilia, quæ noxia.
10. Accendit voluntatem ad amorem Dei: & odium peccati.
11. Conservat in nobis, & auget Dei gratiam.
12. Confirmat in vitæ innocentia.
13. Conscientiæ pacem, & hilaritatem conciliat.
14. Participes nos facit meritorum Christi.
15. Diabolo contra nos vires adiunxit.

16. Animam in adversitatibus ferendis roboret.
17. Rerum terrenarum fastidium causat.
18. à Deo desideratas gratias impetrat.
19. Animabus in Purgatorio plurimum proficit.
20. Deum glorificat, & illi præ aliis nostris actionibus placet.
21. Nos Deo, & Deum nobis unit, & incorporat.
22. B. Virginem, & sanctos speciali gaudio afficit.
23. Firmat fidem, Spem roborat, auget Charitatem.
24. Nunquam sumitur sine speciali merito, Dei dono.
25. Una fervens Communio potest facere sanctum.

Motiva pro frequenti Communione.

1. **Q**uod cibus corpori, hoc est animæ Communio. Quid mirum, quod debiliteris in bono, si raro sumis.
2. Amicus libenter adest amico; quo rarius accedis, eò mirius te curare, & amare Deum ostendis.
3. Cognitio propriæ infirmitatis compellit ad medicum. (Quantæ tuæ, & quam pericu-

riculosæ sunt infirmitates ? cur tamdiu differs medicinam ?

4. Conscientia præteritorum delictorum suadet sumere hostiam placationis, ut, quod ex tuo non potes, solvas ex alieno ; ibi est altare reconciliationis.

5. Si Angelis concessa esset gratia sumenda Communionis, quoties, & quam devo-
tione id facerent ? quid tu, & quomodo ?

6. Adversa pateris ab hominibus, à dæ-
mone ; cur non quæris auxilium ? paravit
tibi DEUS mensam adversus omnes, qui
tribulant te. *Psalm. 22.*

7. Omnia, quæ habes, à DEO accepisti,
quid reddes ? Nihil dignius D E O, quam
DEUM offerre potes, hunc sumendo, tuum
facis.

8. Tot DEI favoribus, & gratiis eges ; cur
illum non adis, non accipis, qui est Omni-
potens, & bonorum omnium largitor ?

9. Desideras in beata æternitate semper
esse cum Christo, incipe cum eodem nunc
esse frequenter.

10. Vis DEUM laudare, B. V. & sanctos
honorare ? nihil illis charius, pretiosius ni-
hil Communione offerre potes.

11. Vis pro te, & aliis extraordinaria DEI
dona impetrare ? nihil efficacius pro salute
vivorum, & refrigerio mortuorum inter-
pellat, quam sanguis Christi.

Exclusiones contra frequentiam Communionis prætensæ.

1. *Non sum dignus toties communicare.*

Si non es dignus hodie, per dilationem nunquam eris dignior, immo facile fies indignior.

Si differs communicare, ut fias dignus, nunquam communicabis : quia nunquam eris dignus, ut tu homo DEQM sumas.

Si non es dignus, ipsa Communio te faciet dignum.

Vel es in gravi peccato, quod D E U S avertat, vel sine illo; si primum, necessaria tibi est præmissa Confessione Communio, si secundum, jam habes sufficientem dignitatem, ut communices.

Non ideo accidis ignem, quia cales, sed ut caleas: si non putas te dignum Communione, communica, & fies dignior D E O.

Multi Sacerdotes, te non digniores quotidie communicant; cur tu idem præstare non possis saltem frequenter.

Cum te judices non esse dignum, ora B. V. sanctos Patronos, ut tuam indignitatem suppleant.

2. *Multa negotia impediunt Communionem.*

Negotia omnia par est, ut cedant Communioni, quæ est negotium æternitatis.

Ut

Ut negotia melius succedant, sèpè com-
munica. Nunquid D E U S est adjutor in
negotiis?

In negotiis multis pericula multa: cur
medicinam præservativam refugis?

Nunquam tot tibi sunt negotia, ut tem-
pus non sufficiat sumendi cibum corpora-
lem, cur non saltem frequenter esuris spi-
ritualem?

Si communicare volens multum orare
non potes, ora minus, sed cum majori in-
tensione devotionis.

Pœna Communionis in peccato sumptæ.

1. **Q**ui manducat, & bibit indignè, judi-
cium sibi manducat, & bibit. 1. Cor.
11.

2. Quantò majus DEI beneficium est SS.
Eucharistia, tantò gravius delictum est in-
dignus ejus abusus.

3. Quantam æger ille spem habet sanitatis,
cui medicina vertitur in venenum, tantam
spem habet salutis, qui SS. Eucharistiam
inhonorat.

4. Quis D E U M indignius tractare posset,
quam qui eum in sterquilinium abjiceret?
tantò pejus cum eo agit peccator, quantò
ejus conscientia totius mundi fordibus ab-
ominabilior est.

5. Justissimum est, ut D E I Justitiam luculentè experiazur, qui summâ ejus misericordiâ tam turpiter abutitur.

6. Qui pro tanto, id est, infinito dono ingratus est, spoliatur D E I donis gratuitis, sine quibus heu quām pauperes, quām miseri sumus!

7. Intellectum ad res spirituales, & supernaturales excœcat.

8. Voluntatem facit in malo obstinatam, unde tales raro emendantur.

9. Impedit D E I etiam in temporalibus benedictionem.

10. Quia DEUS tantam indignitatem non patitur, talibus frequentissimè vitam abbreviat, & quidem morte repentinâ.

11. Disponit ad vitam sceleratam, & tandem ad desperationem.

12. Sicut post SS. Eucharistiam indignè sumptam in Judam ingressus est Sathanas, idem fit hodiéque Judæ sequacibus.

Q. A. M. D. G.





INDEX PARTIS PRIMÆ.

Cura præservativa Innocentiae, Monita. 5

Oratio ad Crucifixum pro Innocentia servanda. 8

Oratio ad B. V. Immaculatè conceptam pro eadem. 9

Oratio ad SS. Ignatium, & Xaverium pro eadem. 10

Considerationes.

1. Innocentia est animæ thesaurūs. 10
2. Innocentia etiam corpori prodest. 16
3. Innocentia est fons veræ lætitiae. 22
4. Innocentia mortem parit jucundam. 27
5. Innocentiae certum est Cœlum. 33
6. Innocentes B. V. amat, ut Filios. 39
7. Innocentia facit Angelis parem. 44
8. Innocentia servata, Martyribus æquat. 50
9. Innocentia facit scientiæ, & aliorum Dei donorum capacissimos. 56
10. Facilius est Innocentiam servare, quam pœnitentiam agere. 62

Hostes.

Hostes.

- | | |
|---|----|
| 1. Velle amari est pestis Innocentiae. | 67 |
| 2. Spectacula, Hospitia, Societas publicae sunt Innocentiae pericula. | 70 |
| 3. Otium Innocentiae infestum. | 73 |
| 4. Vinum Innocentiae venenum. | 76 |
| 5. Sequior sexus Innocentiae naufragium. | 79 |
| 6. Natura est Innocentiae Inimica. | 82 |
| 7. Dæmon est Innocentiae infestus. | 85 |
| 8. Præsumptio est Innocentiae ruina. | 87 |
| 9. Oculi sunt Innocentiae proditores. | 90 |
| 10. Colloquia prava Innocentiae corruptela. | 93 |

Adjumenta.

- | | |
|---|-----|
| 1. Innocenti vivendum, ut pauci vivunt. | 96 |
| 2. Innocenti malis principiis obstandum. | 99 |
| 3. Sinceritas erga Confessarium; Catalogus eorum, de quibus tractare quis cum animæ Directore possit. | 101 |
| 4. Mortificatio est tutela Innocentiae; Catalogus mortificationum obviarum. | 104 |
| 5. Conversatio cauta. | 107 |
| 6. Studia, vel utilis occupatio; distributio diei pro Studiofo. | 110 |
| 7. Oratio est Nutrix Innocentiae. | 113 |
| 8. Fuga Occasionum. | 115 |
| 9. Lectio pia est alimentum Innocentiae. | 118 |
| 10. Timor & Amor DEI sunt Sigillum Innocentiae. | 121 |
- Vide plura Innocentiae adjumenta in parte Secunda, seu Remedia.

PARS

PARS SECUNDA.

R ecipe, seu monita pro Cura morbi sp̄i- ritualis habituati.	130
O ratio ad Crucifixum pro emendatione ha- bitūs impetranda.	132
O ratio ad B. V. Doloresam pro eadem.	133
O ratio ad SS. Ignatium, & Xaverium pro eadem.	134

Considerationes.

1. Habitus pravus perdit animam.	135
2. Habitus pravus corpus perdit.	140
3. Habitus facit mortem esse amaram.	146
4. Habitus pravus aggravat Judicium.	151
5. Habitus post se trahit infernum.	157
6. Habitus facit dæmonis servum.	263
7. Habitus perdit gratiam Dei.	168
8. Habitus pravus Cœlum perdit.	174
9. Habitus peccandi Deum perdit.	179
10. Habitus mentis cœcitatatem, & despera- tionem inducit.	185

MONITA PRÆSERVATIVA

Post

PERACTAM DEVOTIONEM.

IN ANES SPES.

Quibus saepe foveatur prava consuetudo.

1. Vana Spes in dilatione emendationis.	196
2. Vana	

2. Vana Spes in certis precibus.	198
3. Vana Spes salutis in absolutione genera- li.	204
5. Vana Spes Salutis in Solo Cultu Maria- no.	207
6. Vana Spes Salutis in Sententiis probabi- libus.	209
7. Vana Spes in solo actu Contritionis.	212
8. Vana Spes emendationis in dilatione usque ad Ordines Sacros, vel ingre- sum Religionis.	215
9. Vana Spes in parata semper peccatori- bus Dei misericordia.	218
10. Vana Spes pœnitentiae in agone.	220

Remedia pravæ Consuetudinis.

1. Confessarius Stabilis.	223
2. Frequens Confessio, & Communio.	226
3. Fuga Occasionis.	229
4. Novissimorum memoria.	231
5. Mortificatio.	234
6. Votum Devotionale.	237
7. Formula Voti Devotionalis.	240
8. Cultus MARIanus.	
9. Præsentia DEI.	243
10. Examen particulare.	245
11. Occupatio honesta.	248


Fructus

Fructus frequentis Communionis devotè peractæ, & ad vitæ emendationem ne- cessariæ.	251
Motiva pro frequenti Communione.	252
Excusationes contra frequentiam Commu- nionis prætensæ.	254
Pœna Communionis in peccato sumptæ.	255

F I N I S.




2.111.2









Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

412149